



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**R. P. Ioannis Evsebii Nierembergii Vita Divina, Sev Via  
Regia Ad Perfectionem**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Monasterii Westphaliae, 1642**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46790](#)



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Th. 2700.

J. I  
43.







Vida divina y Camino  
real de grande alaço para  
la perfección

R. P. IOANNIS EVSEBII  
NIEREMBERGII  
**VITA DIVINA,**

SEV  
VIA REGIA  
AD PERFECTIONEM,  
*post novissimam Hispanicam editionem,*

à  
P. MARTINO SIBENIO,  
utroque Societatis IESV Sacerdote,  
LATINE REDDITA.

*Collegij sc̄tis jesu paderb.*



MONASTERII WESTPHALIAE,  
Typis BERNARDI RAESFELDII. 1642.

CVM PRIVILEGIO CÆSARIS.

PHILIPPI

GAIUS

COMITI ETIAQ; VSO

BAAARIE VII

ET MONINI

DOMINO MECO CICERO



AMMILLIPAC

ABE / EBB

MC. D. M.

॥ ॥

# SERENISSIMO PRINCIPI

# PHILIPPO GVILIELMO

COMITI PALATINO RHENI,  
BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ,  
ET MONTIVM DVCI, &c.

**DOMINO meo Clementissimo.**

**E**SPICATISSIMIS Nuptiis Tuis gratulan-  
tium Populorum, &  
Provinciarum æstus  
ubi paullisper deferbuit, PRIN-  
CEPS SERENISSIME; mihi quo-  
que, ab Humanitate Tuâ, adi-

) ( 2 tum

EPISTOLA  
tum ad Te polliceri audeo, &  
addictissimæ Tibi mentis In-  
terpretem , Volumen hōcce  
parvulum , ad SERENITATEM  
TVAM , veneratione supplici  
destinare. VITAM illud agere  
docet, quæ votorum omnium  
ambitionem , felicitate suâ ,  
longissimè transcendit . VI-  
TAM, quam qui vivit, vel cum  
sacco dives; qui negligit, et-  
iam in Purpurâ pauper est . VI-  
TAM (in quo uno complector  
omnia) verè DIVINAM ; adeó-  
que SERENITATI TVA , uti  
confido , non displicituram.  
Regum Principumque nutus,  
&

DE DICATORIA.

& imperia obedientiùs num-  
quam, diligentiusque subjectæ  
observant nationes , quām  
quoties Deo non similes tan-  
tum illi, sed Amici præterea; ex-  
Ipsius Voluntate apti, ad cer-  
tissimam hanc Regulam, acti-  
ones morēsque cum suos, tum  
sibi obnoxiorum, accuratè exi-  
gunt: ac ceterà Magni , Maxi-  
mo & Immortali Deo mino-  
res se gerunt , Velle aliud (di-  
cam hoc planè) non habentes,  
aut Nolle, quām quod vult, &  
non vult Ille. Talem , Numini  
probè consentientem, Princi-  
pem esse Te , CLEMENTISSIME

) ( 3                  Do-

## EPISTOLA

DOMINE, Patria sibi gratula-  
tur; & omni, quām latē pa-  
tent, applaudente Getma-  
niā ac Sarmatiā, SERENI-  
TATEM TVAM, Spem su-  
am Alteram, per densas ca-  
lamitatum, quibus miserè  
hoc tempore premitur, Ne-  
bulas jucundè intuetur, Se-  
renissimorum Majorum ac  
Progenitorum vestigiis, He-  
roo pede & pectore, fortiter  
insistentem. Eorum hoc lo-  
ci Syllabum nemo exspecta-  
bit: Serenissimum quin etiam  
Parentem, Eximum Societa-  
ris Benefactorem ac Patro-  
num,

## DEDICATORIA.

num, pluriūmque Collegiorum Munificentissimum Fundatorem, silentio nunc meo venerabor; unam unicam nominâsse contentus, sed multis de millibus unam, Tuámne dicam, an Patriæ, Pauperum, & Bonorum omnium Matrem? illam virtute propriâ, quam Consanguineis Agnatisque, quantumvis amplissimis, Titulis multò illustriorem, SERENISSIMAM, inquam, MAGDALENAM. de quâ sacrum istud Regis Optimi Elogium meo idem-  
tidem obversatur animo, pulcherrima, nisi me amor fallit,

) ( 4 Co-

EPISTOLA

Coronis egregiorum Operum,  
quæ Immortalitate & Annali-  
bus digna , edidit propè innu-  
mera: *Memoria ejus in composi-*  
*tionem odoris, facta opus pigmen-*  
*tarii. In omni ore, quasi mel, indul-*  
*cabitur ejus memoria; & ut Musi-*  
*ca, in convivio vini<sup>a</sup>. Famam i-*  
*psam & Veritatem appello, si*  
*quid h̄ic augeam. Quotquot*  
*Heroidem illam novēre pro-*  
*piùs, iis minùs potiùs , quàm*  
*pro meritis ipsius, dixisse vide-*  
*bor : reliqui obstupeſcent,*  
*ſcio, cùm audient (id quod li-*  
*teris*

<sup>a</sup> Ecclesiastici 49, v. 1 & 2, de Iosia, Rege Iu-  
da, Principe laudatissimo.

## DEDICATORIA.

teris Scriptorib[us]que testatis-  
simis Orbi jam pridem per-  
vulgatum est) Deo usque eò  
obsequientem extitisse; ut annis  
quatuor, quos ultimos inter  
homines egit, uno saepe die,  
(rem inter Ascetas & Anacho-  
retas ipsos raram!) centies, eó-  
que amplius, Voluntatem su-  
am cum Divinâ conformave-  
rit<sup>b</sup>. Hoc, scilicet, est non in  
chartâ, sed intimo animo, VI-  
TAM DIVINAM inscribere. Ut-  
nam, quibus multa non lubet  
vacatve legere, istud sibi E-

) ( . 5 xem-

<sup>b</sup> P. Hierem. Drexelius in *Gymnasio Patientiae*  
*Parte 3, cap. 6, §. 7. Idem in Speculo Virtutis,*  
*Gemma 24; & alii.*

## EPISTOLA

xemplar proponant ; felices  
futuri , si ejus imitandi studi-  
osos, aliquando Mors depre-  
hendat ! Aut certè, si ad Sere-  
nissimam Nominis hujus, ad-  
eoque exaggeratæ Virtutis lu-  
cem, Oculi eorum hebescant  
& caligent; seriò, obsecro, at-  
tentéque volvant ac revolvant  
hunc Libellum, Quem cùm so-  
li hactenus Hispani Belgæque  
intelligerent, communi & no-  
tâ Gentibus omnibus Linguâ  
loquentem feci : atque et-  
iamnum à prælo Operisque  
madentem, SERENITATI TVÆ,  
animò affectuque Eidem de-  
votis-

## DEDICATORIA.

votissimo, inscribo & dedico;  
tenue, fateor, longéque Me-  
ritis ac Virtutibus Tuis infe-  
rius, publicum illud tamen &  
sincerum, perpetui meritissi-  
mique Obsequii, Honoris,  
Cultûs, Observantiæ & Gra-  
titudinis nostræ Monimen-  
tum, Devs SERENITATEM Tv-  
AM, cum SERENISSIMA CON-  
IVGE, diutissimè servet, tueatur  
& sospitet, dum Filios videatis  
ac Nepotes, utrique Parenti  
quàm simillimos; qui Vos Vo-  
bis, laudésque Vestras, & facta  
illustria (quibus Calamus iste  
succumberet) vivis olim verif-

) ( 6 que

EPIST. DEDICATORIA.  
que coloribus repræsentent !  
SERENITATIBVS VESTRIS So-  
cietatem nostram omnem ,  
mēque unā & meos, submissis-  
simè commendō. Monaste-  
rii, Westphalorum metropoli,  
pridie ejus diei, quo in cælum  
ascendentis Deiparæ memoria  
colitur. Anno Christiano ̄.  
I.C. XLII.

SERENITATIS TVÆ

infimus Cliens,

MARTINVS SIBENIVS  
è Societate IESV.

BENEVOLO  
LECTORI  
INTERPRES.



 uem laborem Hispanis, & Hispanice scientibus, primus hujus libri parens; quem Belgicus Interpres, R.P. ANDREAS de BOETE, Belgis, ac popularibus uterque suis, impenderunt; eumdem ut ego pluribus gratificarer, Latinam, & Belgicâ auctiorem, versionem aggressus sum. Eam cùm ab Auctore videndam priùs, severéque castigandam sperarem, quām typis descripta publicè legeretur; ecce tibi, humi- nissimis ille literis, Madrito datis, editionem optat maturari. In quo uti Viro optimo, & tantâ mecum necessitudine conjuncto, quām meómet animo, morem gerere malui; ita si obsequii nunc ipse mei, & credulitatis sue pœnas luit, meo me judicio fidenter absolvo. quamquam hoc sedulò operam dedisse profiteor, ut Nieremher-

(7) giana

EPIST. DEDICATORIA.

que coloribus repræsentent !  
SERENITATIBVS VESTRIS So-  
cietatem nostram omnem ,  
méque unà & meos, submissis-  
simè commendo. Monaste-  
rii, Westphalorum metropoli,  
pridie ejus diei, quo in cælum  
ascendentis Deiparæ memoria  
colitur. Anno Christiano.  $\infty$ .  
Ioc. XLII.

SERENITATIS TVÆ

infimus Cliens,

MARTINVS SIBENIVS  
*& Societate IESV.*

BENEVOLO  
LECTORI  
INTERPRES.



 uem laborem Hispanis, & Hispanice scientibus, primus hujus libri parens; quem Belgicus Interpres, R.P. ANDREAS de BOETE, Belgis, ac popularibus uterque suis, impenderunt; eumdem ut ego pluribus gratificarer, Latinam, & Belgicâ auctiorem, versionem aggressus sum. Eam cùm ab Auctore videndam priùs, severéque castigandam sperarem, quām typis descripta publicè legeretur; ecce tibi, humi-  
nissimis ille literis, Madrito datis, editionem optat maturari. In quo utì Viro optimo, & tantâ mecum necessitudine conjuncto, quām meómet animo, morem gerere malui; ita si obsequiū nunc ipse mei, & credulitatis sue pœnas luit, meo me judicio fidenter absolvo. quamquam hoc sedulò operam dedisse profiteor, ut Nierember-

j( 7 giana

## AD

giana Tibi verba , sensumque & mentem ;  
quantum assequi potui , religiosè , & cum fide  
redhiberem : adeò quidem , ut futuros vix dubi-  
tem , quibus nimia ista mea diligentia minus  
probetur ; censeantque , venustius pleraque & ni-  
tidius Romano sermone exhibenda fuisse . Ego ve-  
rò , ô Boni , etiam simplicius nonnulla transtulisse  
velim . Libellum Phraseon si petitis ; nullo neg-  
otio plures indicavero : immo ad Veteres mit-  
tam , puræ veræque Latinitatis primos solos  
que Conditores . Hic talium elegantiarum nihil  
admodum invenietis : invenietis autem , quæ , si  
in animum serio admittatis exerceatisque , re-  
vera bonos Vos probosque , hoc est , D E O gra-  
tos efficiant . Aliud si queritis ; aliam , suadeo ,  
quercum excutiatis . Manum & qualemcumque  
Opellam nostram , ceterarum scriptiorum negligi-  
gentes , Pietati dicavimus ; Lectorum utilitatem  
potius , quam plausum vocesque inanes spectan-  
tes . Quâ tamen ipsâ si quis defungi me po-  
tuisse existimat ; ei cum alia respondere possem ,  
ad Libri illum argumentum remitto : quod ejus-  
modi esse cognoscet , ut sat is inculcari explicari-  
que numquam possit . quippe quo uno Sanctitatis  
omnis ratio perfectè absolvitur ; cum velle doceat

&amp;

## LECTOREM.

Et facere, quod vult DEVS. Miseros nos, atque iterum miseros, si alia discamus omnia, & unum istud tam necessarium malè ignoremus! Scio equidem, & nominare possim, è Sodalibus meis aliisque plures, qui his annis proximis, de Voluntatis Humanæ cum Divinâ conformatione, Dissertationes præclaras vulgârunt: verum quantulum, obsecro, post tot Monitores & Curatores, Voluntas nostra ad bonitatem se flecti patitur! Idcirco nimium quantum indocili, novum hunc Magistrum dare placuit. cuius si saluberrima consilia & præsentissima remedia admittet, sine dubio sanabitur: sin pertinaciter aspernabitur, inemendabilem pravitatē corrigi posse, usquequaque despero.

Auctoritates porrò & testimonia, quibus extremam paginarum oram, charactere quam vellem minore, passim adspersam vides, à me & amicis sunt adjecta: in quibus colligendis operæ penè temporisque plus positum, quam in translatione ipsâ. quò facilius ignoscet, BENIGNE LECTOR, locis aliquot conatum nostrum frustra fuisse, eaque primi Scriptoris fidei, securus tecum committes. Ejusdem IESV & MARIAE Amores, si VITAM probaveris, aliquantò liberiore Tibi calamo deinceps,

Supē-

AD LECTOREM.

Superis bene juvantibus, representaturos pollice-  
mur. Interea valebis optimè, & commodis Tuis  
operanti, unicum hanc à D E O gratiam inter-  
dum petere dignaberis, ne iis annumeretur, qui  
pessimorum Doctorum amuli , scribunt ac di-  
cunt, & non faciunt.

Errata Typographica, siquæ alicuius momen-  
ti occurrent, ea sub finem libri indicabimus; le-  
viuscula, & à quovis, primo adspectu, obser-  
vanda, adnotare omittamus. Ignoscet, ubi Tibi  
displicemus, errantem mone , & amicissimè  
salve.

FA-

EXCELSA FACULTATIS  
SOCIETATIS IESU

FACULTAS  
R. P. PROVINCIALIS  
SOCIETATIS IESV  
PER RHENI INFERIORIS  
PROVINCIAM.



Go GOSWINVS NIC-  
KEL , Societatis Iesv  
per Inferioris Rheni Pro-  
vinciam Præpositus Provin-  
cialis , VITAM DIVI-  
NAM , à R. P. IOANNE EVSEBIO  
NIEREMBERGIO Hispanicè , & à P. MAR-  
TINO SIBENIO , utroque ejusdem Socie-  
tatis Sacerdote , Latinè scriptam , ac con-  
sueto more censam probatámque ; pro-  
po-

potestate , ab Admodum R. P. N.  
M V T I O V I T E L L E S C O , Vniversæ So-  
cietatis Præposito Generali acceptâ , pu-  
blici juris facio. BERNARDO insuper RAES-  
FELDIO, Bibliopolæ & Typographo Mo-  
nasteriensi , jus Cæfarei Privilegii usur-  
pandi hactenus indulgeo ; ut eo invito,  
V I T A M hanc , ab ipso primùm edi-  
tam , nemo recudere , nemo intra S.  
R. Imperii fines , & hereditarias S. Cæs.  
Majestatis Provincias importare , aut ve-  
nuim exponere audeat. Datam Faculta-  
tem Manu meâ , & Officii sigillo confir-  
mo. Coloniæ , Kalendis mensis Junii ,  
M. DC. XLII.

GOSVINVS NICKEL.

IN-

# **I N D E X**

## **C A P I T U M ,**

**C**APUT I. *Quæ sit compendiosissima Via  
ad Vitam spiritualem.* 1.

**CAPUT II.** De jure quod DEVS obtinet, ut  
divinæ homines, non propriæ obsequantur  
voluntati. 7.

**CAPUT III.** Humane voluntatis ad Divinam conformatio-  
nem nihil esse præstantius & excellentius. 28.

**CAPUT IV.** Nihil in mundo esse jucundius, quam propriam ex toto abnegare voluntatem, & amplecti divinam.

**CAPUT V.** Nihil nobis melius utilius  
ve esse, quam quod vult. DE-  
VS. 49.

CA-

I N D E X.

CAPVT VI. Divinæ voluntatis impletionem,  
summum esse hujus vitæ bonum; cælum  
quoddam, & anticipatam beatitudinem.  
63.

CAPVT VII. Et si neque obligati essemus; ne-  
que tam honorificum, jucundum, & u-  
tile foret: necessitas ipsa, ad DEI volunta-  
tem exsequendam, nos adigit & com-  
pellit. 68.

CAPVT VIII. Quanti Christus faciat homi-  
nem divinæ voluntatis studiosum. 74.

CAPVT IX. Secundum Prudentiæ legem, et si  
DEVS supernaturali providentiâ nos, no-  
strâque non curaret; adhuc tamen ejus  
voluntatem exsequendam esse. 86.

CAPVT X. De admirabilibus justisque DEI  
judiciis, propter quæ conveniat, ejus nos  
sanctissimæ voluntati conformari. 100.

CAPVT XI. Continuatio materiæ de justis  
DEI judiciis; & periculi plenum esse, et  
iam in rebus minimis, divinam negligere  
voluntatem. 109.

CA-

CAPITVM.

CAPVT XII. Exemplis ostenditur, quanti referat divinam exsequi voluntatem. 119.

CAPVT XIII. Insignia exempla & sententiæ Ethnicorum; docentium, quo nos modo divinam voluntatem implere, cùmque eā nostram conformare debeamus. 139.

CAPVT XIV. Praxis Exercitii de voluntate divinâ adimplendâ. 146.

CAPVT XV. In rebus omnibus, nullâ exceptâ, DEI sequendam esse voluntatem. 156.

CAPVT XVI. Praxis absoluta cum divinâ voluntate conformatio[n]is. 167.

CAPVT XVII. Quid omnium maximè incitare nos beat, ad divinæ voluntatis impletione[m], nostræque cum eâdem conformatio[n]em. 180.

CAPVT XVIII. Quanti referat, propriam negligere voluntatem, ut faciamus voluntatem DEI; deque multiplicibus Mortificationis perfectæ emolumentis. 191.

CAPVT XIX. Gradus Mortificationis, necessarii, ad compleundam ubique, & in omnibus, voluntatem DEI. 217.

Ca-

I N D E X

CAPVT XX. *Quanti intersit, ad DEI voluntatem implendam, sua mortificare desideria.* *A BRUNNANO IIIV* 235.

CAPVT XXI. *Dé Intentionis puritate, ad divine voluntatis impletionem necessariâ.* *BUTTINA* 248.

CAPVT XXII. *Gradus puræ Intentionis, qui ad DEI in omnibus voluntatem implendam requiruntur.* *H* 268.

CAPVT XXIII. *Quomodo Divina voluntas agnoscenda sit, ut integrè compleatur, opera nostra sincerè ad DEV'M dirigendo.* 275.

CAPVT XXIV. *Opera omnia non solum propter DEV'M, verum etiam quo illa modo fieri vult DEVS, cum insigni perfectione, facienda esse.* 287.

CAPVT XXV. *Quo se modo aliquis, in omnibus quæ facturus est DEVS, ad ejus voluntatem conformare, illique acquiescere debat.* 296.

CAPVT XXVI. *Quibus in rebus nos cum divinâ voluntate conformare debeamus.* 314.

CA-

## CAPITVM.

CAPVT XXVII. Gradus humanae cum divina voluntate conformatio-  
nem, atque ad Intentionis puritatem, & cum divinâ voluntate Conformatitatem,  
profit Obedientia. 341.

CAPVT XXVIII. Quantum ad Moriificatio-  
nem, atque ad Intentionis puritatem, &  
cum divinâ voluntate Conformatitatem,  
profit Obedientia. 355.

CAPVT XXIX. De uni-formitate cum DEI  
voluntate. 363.

CAPVT XXX. De DEI-formitate & Vita  
Divina, quam Animæ aliquæ sanctæ parti-  
cipant. 368.

CAPVT XXXI. De ardentibus desideriis, qui-  
bus perfectio, divinaque voluntatis im-  
pletio per vestigari debet ; deque incita-  
mentis & stimulis ad hoc impellenti-  
bus. 371.

CAPVT XXXII. Exempla aliquot singularis,  
in divinâ voluntate implendâ, fervoris pro-  
ponuntur. 385.

CAPVT XXXIII. Quantopere peccatum mor-  
tale odisse nos, & detestari oporteat ; ut-  
pote quod divinæ voluntati præcipue dire-  
cteque adversatur. 403.

CA-

INDEX CAPITVM.

CAPVT XXXIV. Ex venialis peccati gravitate cognosci potest, quantum malum sit, peccato mortali admissso contra divinam niti voluntatem. 433-

CAPVT XXXV. Quomodo perfectionis, & divini beneplaciti adimplectionis, impedimenta amolienda sint; cum aliquot ad hoc necessariis regulis & documentis. 459.

CAPVT XXXVI. De Orationis, ad perfectiōnem, Deique voluntatem cognoscendam & implendam, necessitate. 478.

IOAN-

IOANNIS EVSEBII  
NIEREMBERGII

EX SOCIETATE IESV

# VITA DIVINA,

seu

## VIA REGIA,

FACILI COMPENDIO AD PERFECTIO-  
NEM DVCENS.

### CAPUT I.

*Quæ sit compendiosissima via ad vi-  
tam spiritualem?*



Per amini non cibum qui perit; sed  
qui permanet in vitam æternam.<sup>a</sup>  
Verba sunt hæc Filii DEI,  
Christi IESV, quæ nos magni  
decet æstimare, tum ob sum-  
mam ea loquentis autoritatem; tum ob

A

ejus.

a Ioan. 6, v. 27.

## 2 VITÆ DIVINÆ

ejusdem adversus nos amoris magnitudinem. descendit enim de cælis , & acerbissimam Crucis mortem pro hominum salute sustinuit; ut nos dictis factisque suis vitam quamdam divinam edoceret. Ad hanc ipsam exemplo nos præterea suo incitavit; cum tam disertè, *Meus cibus est*, ait, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; *ut perficiam opus ejus*<sup>b</sup>. Nam inter omnia pia exercitia, quæ pabulum sunt & nutrimentum animæ, quibusque vita ac fervor spiritûs conservatur; sola divinæ voluntatis exsecutio, & nostræ cum eâdem consensio , æternū durabit: neque deseret nos umquam gratum isthuc & sine curâ studium beneplaciti divini adimplendi, quod sanctos Angelos cum summa ipsorum voluptate & honore nunc occupat, eosdem in omnem seculorum æternitatem occupaturum, Davide teste <sup>c</sup>: à quo propterea vocantur ministri Dei, qui faciunt voluntatem ejus <sup>d</sup>. Hoc verò tantum bonum in aliis spiritualibus exercitationibus nequaquam reperias: humilitati enim , patientiæ,

<sup>b</sup> *Ioan. 4, v. 34.* <sup>c</sup> *Psal. 83, v. 5.* <sup>d</sup> *Psalmo 102, v. 20  
G. 21.*

## CAPUT I.

3

entiæ, mortificationi, pœnitentiæ & praxi-  
bus mediisque aliis, ad perfectionem conse-  
quendam idoneis, neque locus ullus erit in  
vitâ alterâ; neque in hâc ipsâ continuò; sed  
aliquando solùm usurpari queunt, & inter-  
rumpi sæpius aut mutari debent: cùm id  
genus exercitia omnibus eodem modo a-  
pta non sint; immo nec uni eidemque ho-  
mini in quovis statu: & quod Incipientibus  
mirè cónvenit, non æquè Proficientibus  
accommodum sit & Perfectis.

Sola autem divinæ voluntatis expletio,  
non modò utilis est omnibus; verùm neces-  
saria quoque, nec ulli obnoxia mutationi.  
Exercitium hoc tam gratus utilisque cibus  
est iis, qui illum gustare cœperunt, ut num-  
quam vel gravet vel impedit: tam item ex-  
cellens, ut huc revocentur exercitia reli-  
qua; & qui huic uni perfectè se dederit, si-  
mul accuraturus sit alia omnia, futurus hu-  
milis, pœnitens, mortificatus, patiens, &  
modestus. Quidquid Ascetici Scriptores  
tradunt, modique & viæ, quas monstrant,  
perfectionis alsequendæ, hic desinunt; qui-  
que sincerè ac constanter in hoc exercitium

A 2 incum-

4 VITÆ DIVINÆ

incumberet, maximum se brevi profectum fecisse experiretur: quoniam singulare est itineris compendium, viaque expeditissima, quâ ad optatam inox metam perducâre, scopumque tangas.

Et quia, ut innuebam, statibus servit omnibus; meritò *Via regia* dicatur, per quam, nusquam evagando, ambulare liceat omnibus, Incipientibus, Proficientibus, & Perfectis, languidis & robustis, ægrotis & sanis. Cedet itaque magnoperè ad Dei obsequium, hoc exercitium in opus deducere, eique vehementer affici. Diversi diversis student virtutibus, variisque modos adhibent, ad spiritum conservandum perfectiōnemque consequendam. Quidam humilitati se dedunt, ut in eâ aliquando excellentes evadant; quidam mortificationi: alii asperitates adhibent corporis, orationem alii: singulique quantum possunt, contendunt, ut in particularibus istis virtutibus plurimum proficiant. Ego verò sic existimo, quantumvis magni ista momenti sint: insigne nihilo-minus compendium, & in quo cetera omnia contineantur, reperisse eum,

## C A P V T I.

5

eum, qui sine morâ hoc exercitium amplectatur, in eoque perseveret: nimirum, ut nihil faciat, adeoque nec oculum attollat, nisi cum Deo id placet; atque ut faciat, quidquid ei gratum fore cognoscit. Usque eò; ut nulla alia ratio gravior, caussa nulla præstantior, nulla vis potentior, neque necessitas urgentior quemquam ad agendum possit impellere, quam dicere: *DEVS hoc petit; ista est DEI voluntas & beneplacitum*: id perpetuo spectando in iis quæque agit, quæque omittit, nū Deo res placeat vel displiceat, quâque ratione eam dē fieri Ille, vel non fieri cupiat.

Hoc est exercitium brevissimum, minimèque impeditum: hæc est via tutissima, dolis insidiisque nullis exposita: hoc compendium est vitæ spiritualis: universalis hæc est regula, nullam admittens exceptionem: medium est, simûlque finis mediorum reliquorum; & medium efficacissimum, ad alia media omnia majori cum absolutione meritóque perficienda. Studium enim hoc & sollicitudo pervigil penitus indagandæ implendæque voluntatis divinæ, præterquam quod sit actionum nostrarum omnium ge-

A 3

ne-

neralis quædam amissis, & ratio unica, ad rectè in iis progrediendum, divinamque sapientiam consequendam; fons etiam est uberrimus promeritorū & gratiarum. quoniam uti actiones omnes à nobilitate finis in iis propositi dignitatem præstantiamque suam mutuantur, & purior sublimiorve finis nullus est quam voluntas DEI, quæ est Deus ipse; hoc caussæ est, ut quidquid ob hunc finem facimus, id omne elevetur colloceturque in altissimo gradu meritorum, operaque perficiantur sincerissimæ caritatis. ex eo fit quoque, ut patientia, quam DEI caussâ adversa omnia tolerantur; quia Deus nos pati vult, nihil sit meriti minoris: quoniam eadem velle, eadēque nolle, purissima est caritas, & suprema lex amoris. Ideoque, si quis omnia agit patiturque, quia sic vult Deus; numquam hic talis cessat ingentia lucra colligere, potestque hoc unico exercitio ad insignem sanctitatem pervenire. Verum prius, quam illius usum proponā, ostendā quam illud sit cōveniens, quam necessariū, quam efficax, quam honestū, quam jucundū, quam utile, quamque Deo gloriosū & ac-

## C A P V T II.

7

& acceptum; quò omnibus hâc ratione per-  
suadeam , ut ardenter illud appetant, studi-  
úmque in eo suum collocent . Quosdam e-  
nim sola trahit spes proprii commodi; quoſ-  
dam voluptas; honor permovet alios; alios  
obligationes respectúsque graves: nonnulli  
necessitate, vi nonnulli dumtaxat impellun-  
tur . Rationes hæ omnes hoc Exercitium  
suadentes optimè conspirant , ad illúdque  
nos impellunt: quandoquidem divinæ exſe-  
cutio voluntatis res ea est, quę una omnium  
maximè nos sibi obligat , quâ nulla alia vel  
gloriosior, vel jucundior, vel honestior, vel  
utilior , vel necessaria magis , vel denique  
potentior efficaciorque reperitur.

## C A P V T I I.

*De jure quod DEVS obtinet, ut divinæ  
homines, non propriæ obsequan-  
tur voluntati.*

**D**ubitari non potest, quin servus Do-  
mini sui, cliens Principis, filius patris,  
& mariti vxor voluntatem exequi, ab eâque  
nec tantillūm deflectere teneantur . atqui  
DEVS , noster est Dominus , Rex noster,

A 4 Spon-

Sponsus noster, nōsque mille illi uominibus  
obligatissimi sumus: quia pretio Sanguinis  
eius redemti; quia totos nos ei tradidimus  
& mancipavimus; quia ab eodem procrea-  
ti sumus.

Si suam colonus censem arborem, quam  
posuit; si canem domi suæ natum, suum re-  
putat; si suam statuarius imaginem, quam  
scalpsit; quid ni suos dicat sibi que vendicet  
DEVS, quos è nihilo condidit? Etenim uti,  
juxta receptam Philosophorum doctrinam,  
infinitè distant, facere aliquid ex aliquo, &  
facere ex nihilo: ita jus & dominium, quod  
in suas DEVS creaturas, ut qui eas ex nihilo  
creaverit, obtinet, jura omnia alia infinitis  
partibus excedit.

Si ergò homini in hominem jus est &  
dominium, ut eo pro libitu suo utatur: atq;  
ut servo tuo nihil arbitrio proprio facere li-  
ceat; eò solùm, quòd in bello captus, aut ex  
ancillâ domi tuæ natus, aut exiguo & peri-  
turo pretio emtus sit<sup>a</sup>: quantum, putas, DEO  
juris erit in voluntatem nostram, ut ejus nos  
beneplacito penitissimè submittamus, quos  
arctif-

<sup>a</sup> Institut. lib. I, Tit. 3, & 8, & alibi ICti.

## CAPUT II.

5

arctissimè sibi devinctos habet; quia è nihilo procreavit & redemit? Certum est, multis de causis & nos ejus debere perficere voluntatem, & potestatem Eidem in illam summam esse.

Quod si servus, ob exiguum illud vinculum, quo hero suo adstringitur, non est dominus actionum suarum & desideriorum; fierine poterit, ut nos, Deo tam multipliciter devicti, quorūque supremus ipse est Dominus, nostrī ipsorum ac voluntatis nostræ velimus esse domini, eāque Deo nostro subiicere nolimus?

Consideremus igitur diligenter, quā ex hoc capite causam nullam habeamus, vel in re minimâ, uti noctu oculi, motu dīti, aut solâ anhelitûs captatione, voluntati nostræ obsequendi: quoniam & æquitas ipsa, & leges omnes, tantum esse pronuntiant debitum, quantum fuit acceptum. quia verò à Deo accepimus quidquid sumus; illud omne quod sumus, in ejus obsequium est expendendum, ejusdémque nutu & arbitrio nobis vivendum.

Nostra deinde adversus Deum obligatio,

A 5

inf-

10 VITÆ DIVINÆ

infinita est: infinitum autem terminos nullos habet, nihil excipit, locum nullum præterit; ut ne ullam in partem nostri simus, sed toti DEI. cuius jus injustè violabit, qui quidquam (re nullâ exceptâ, sive opus exteriorum fuerit, siue motus animi internus) etiam minimam cogitationem, non secundum DEI, sed suam voluntatem, suscipere non dubitabit.

Præclarè igitur & verè S. Anselmus: *Solus DEVS, ait, quidquid vult, debet velle propriâ voluntate; ita ut aliam quam sequatur, non habeat suprase. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, DEO aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli Regi competit; sic propria voluntas soli DEO. Et sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat DEV M, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium, habendo, quod ille debet habere solum. Sed sicut propria voluntas DEI, fons est & origo totius boni; ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali. Hæc omnia totidem verbis S. Anselmus b.*

Verum ut accuratiūs ista ponderemus,  
opera

*le dico de similitudinibus, cap. 8.*

## CAPVT VI.

ii

operæ pretium erit , secundo loco titulos aliquos , ob quos Devs in nos jus habeat , singulatim considerare . Nam si unicus ille Creationis titulus , hoc est , quod immensâ caritate & potentia infinitâ ex nihilo conditi , DEV M , nostrum agnoscamus Domi- num ; abundè sufficiat , ut infinitè obligemur , ad nullâ in re nostram , quâ nostram , voluntatem sequendam ; atque ad hoc DEO jus concedendum , quod in rebus omnibus , nisi injusti , raptores , & ingratî audire velimus , ipsius nos obsecundare deceat voluntati : si ita , inquam , res se habet ; quid tandem erit , accessione tot aliorum titulorum , ob quos non minùs noster est Dominus ?

Primum quidem ; quia sibi nos emit , ut dixi : non qualicumque pretio ; sed pro nobis expendendo thesaurum infinitum . Si cui enim pecunia , quam pro mancipio numeravit , tantum in hoc juris confert ; ut omnia illud deinceps agat arbitrio emtoris : Devs similiter , pro infinito , quod pro nobis exsolvit , pretio , jus in nos sibi vendicat infinitum ; eaque propter infinitè nos ipsi

A 6 subesse,

subesse, ejusque beneplacitum implere necessum est. quod ipsum jus, omnem nobis penitus adimit potestatem, etiam in re minimâ, ad corpus animûmve spectante, quidquam ex nostrâ voluntate faciendi: quoniam, cùm idem DEVS infinito isthuc pretio animas nostras potius emerit, quâm corpora; nullo jure, vel minima interioris animi motio nostræ permitta est voluntati.

Tametsi præterea nullam ob rationem aliam haec tenus ad DEVM pertinuissemus; ex quo tamen tempore, per passionem & contractum voluntarium, totos nos emancipavimus; quanti quanti sumus, illius sumus: idque non aliter, quâm S. Paulinus barbari istius fuit hominis, cui se in servum addixerat, pollicitus, quidquid ille imperâset, id se omne diligenter perfecturum. Atque ita, quia sponte nostrâ DEO nos tradidimus; (quam traditionem hoc ipso momento utique renovamus & confirmamus,) novum in nos DEVS jus acquirit, ut quod ipse vult, non quod nobis placet, faciamus.

*¶ S. Greg. Dialog. lib. 3. cap. 1.*

clamus. quod jus æquè, ac prius illud, est infinitum; adeoque infinito quodam studio cavendum est, ut ne nostram, sed solam DEI voluntatem impleamus.

Porrò jus hoc eam ob causam infinitum est; quia loco debitorum infinitorum, quibus Deo, ob infinita ejus erga nos beneficia, devinctis sumus, illi nostros dedidimus. Et quemadmodum apud gentes quasdam, cùm solvendo non esset debitor; creditori servus addicebatur, qui pro debitorum magnitudine plus minufe in eum juris usurpabat: sic èt nos, cùm beneficia & nomina tam multa, apud DEVUM contracta, dissolvere non possemus; ipsos nos illi mancipavimus. Obligatio quæ hinc nascitur, & potestas, quam Deo idcirco dedimus, infinita est; nosque, quantum fieri potest, ipsius obsequio addicens, illique tradens jure quodam infinito: per quod nullo pacto nostri sumus; neque causam reliquam habemus ullam, nostræ, sed divinæ dumtaxat, voluntatis perficiendæ.

A 7

Insu-

*d Alex. Guagninus in descriptione Moscovia, cap. 1. Videri etiam possunt de pœnis debitorum Gellius lib. 20, cap. 1; Alex. ab Alex. lib. 6, c. 10; Cal. Rhodig. lect. antiqu. lib. 12, cap. 20, &c. alii.*

Insuper, si ob mercedem servo promisam, eo, pro libitu suo, uti herus potest; Deus quoque, ob præmium longè maximum, quod nobis pollicitus est, & fide optimâ præstare vult, jus sibi acquisivit, ut divinæ ejus voluntati necessariò pareamus. Atque uti hòc diligentius famulari domino suo servum decet, quò ampliorem ab eo mercedem exspectat: ita nos, cùm merces & præmium à Deo nobis juratò promisum, certoque repræsentandum, res sit infinita, atque, ut Theologii loquuntur<sup>c</sup>, objectivè Deus ipse, Deique possessio, & clara visio infinitæ ipsius essentiae; cùmque hæc possessio infinita sit, quia sine fine duratura; consequens est, ut obligatio hinc profeta, èt ipsa necessariò infinita esse censeatur.

Verùm ut ista non essent; & neque nos procreasset Deus; neque vitâ suâ & pretioso Sanguine redemisset; neque nos ipsos illi sponte tradidisset; neque quidquam illi deberemus: quamvis etiam obsequia nostra tam liberaliter compensaturus non esset;

<sup>c</sup> S. Thomas 1.2, q.3 & 4, & Theologi ibi.

set; propter authoritatem tamen solam & excellentiam essentiæ suæ, Dominus noster & Deus est, nosque, seclusâ caussâ omni & titulo alio, infinitè vel ob hunc solum, illius nos imperio subjicere debemus: quia, docente Aristotele<sup>f</sup>, naturalis dominatus naturæ dignitate nititur; quæ efficit, ut homo dominetur brutis, vir imperet uxori, & imprudentiores prudentioribus subditi, ab iis dirigantur & gubernentur. Quando itaque Dei sapientia res ceteras omnes infinitè antecellit, dominium indè acceptum, iterum infinitum est; atquè ob illud solum cónvenit, ut infinitè illi subiecti, ejus voluntati planissimè obsequamur.

Habet verò Deus, præter supremum nostri dominium, ut justitiæ titulum omittam; propter multos alios, caussam æquisfimam, ne ullâ in re nostrâ, sed ipsius tantummodo voluntatem perficiamus. Ob solam illam obligationem, quam affert virtus pietatis sive religio; quia summa est, meritissimò omnem, quam debemus, obedientiam,

<sup>f</sup> Arist. lib. I Polit. cap. 3.

tiam, reverentiam, honorémque ipsi exhibeamus: eò quòd Pater noster sit ; idque cum tantâ tamque strictâ necessitudine, ut nemo alias æquè noster Pater sit atquè ipse, qui per gratiam suam, vinculo & conjunctione firmissimâ, nobiscum communicat divinam suam naturam : usque adeò, ut, si singamus , non habere DĒVM perfectum absolutumque imperium in suas creature; propter hunc unicum tamen titulum, quòd Pater sit hominum, infinitum ei obsequium debeamus : cui obsequio ex æquo respondet non propriæ , sed alienæ impletio voluntatis. Quare , cùm ob patriam Devs potestatem, submissionem à nobis jure optimo reposcat ; eo constituto sequitur rursum, ex ipsius semper , nostrâ verò numquam, voluntate, omnia nobis esse facienda.

Ex eo similiter; quia Sponsus noster est, perfectissimumque & infinitè elevatum esse habet supra omnia alia; infinitum ei amorem debemus : quia infinitus amor amorem omnem aliud excludit. Quocirca si vehemens rei creatæ amor non permit-

tit,

tit, ut quis ipse se amet ; ecquâdemum ratione sinet jus amoris divini , ut aliud quidquam , immo etiam temet-ipsum , ames? Cùmque eatenus infinitè à nobis amari Devs debeat; turpe fuerit, quidquam aliud amare quàm ipsum , aut propter ipsum: quantò verò turpius , ullâ in re ipsius sanctissimæ voluntati repugnare , & jussa detrectare?

His istud adjungo. Quantumvis nec Dei servi essemus , uti sumus , jure legibúsque omnibus, ejus voluntati obnoxii: quantumvis nec filij; ideoque ad ei obediendum meritò paratissimi: quantumvis deinde animæ nostræ ejus Sponsæ non forent, neque ipse infinitè perfectus ; neque nos aut ob justitiam, aut pietatem, aut religionem, rem ipsi creatam ullam obsequiúmve deberemus; adhuc tamen, propter id solùm , quod humani grātique lex animi exposcit, in re nullâ propriam , sed solam ipsius in omnibus voluntatem teneremur perficere . An cui dubium esse potest , eum, qui beneficia ingentia se accepisse fateatur ; hòc maiores gratias reddere oportere , quò & beneficia ipsa

ipsa ampliora , & accipiens minùs ea promeritus fuerit?

Quandoquidem igitur sole clarius est, infinitas nos gratias debere pro omnibus Dei beneficiis & infinitâ ejusdem liberalitate, quam infinitè ingrato, impudente, & illiberali sordidóque , quo erga DEV M usi sumus, animo, nullo sanè pacto promeruimus; gratias has, sic debitas, re aliquâ nostrâ referamus oportet : quia de bonis alienis nemini certè satisfacias ; multoque etiam minùs iis, quæ ad eum ipsum, cui debes, pertineant . posteaquam autem proprii nihil possidemus , quodque magis propriè nostrum dici potest , voluntas est libérūmque arbitrium ; obligati quoque sumus , ut illud DEO plenè integréque consignemus : nam istuc solum minùs impropriè nostrum, facultatésque & opes nostræ , dici potest.

Quapropter cùm tam simus rerum omnium egeni, ut aliud nihil nobis restet; atque ut illud ipsum , quod aliquantò magis proprium nobis esse videtur, réque ipsâ est, totum, nec tantillum reservando, DEO offerre debeamus: (quippe si vel pauxillum nobis

nobis ipsis reservare vellemus , haudquam in totum Deo nos tradituri essemus; nihil admodum habentes nostrum, quod eidem demus, nisi voluntatem & amorem nostrum) Deus quoque ipse aliud à nobis non exspectat. immo res ceteræ omnes, hæc unâ neglectâ , parùm ei placituræ essent. Quicumque porrò, quod alteri debet, gratum eidem optat accidere ; eâ illud ratione exsolvit, quam creditori acceptissimam fore cognoscit.

Plurimum crescit augeturque hæc , de quâ loquor, obligatio ex eo; quod non immensa tantum beneficia, sed suâmmet insuper Deo voluntatem debeamus : ideoque, ut explicata sit solutio , éadem illi moneta, hoc est, voluntas nostra repræsentanda est. debemus, nempe, Deo amorem suum; quia sincerissimè nobis affectus est , & delicias g nos suas reputans, Majestatem suam i. ostraræ quodammodo submisit volūtati. Quavis enim absolutus ipse fit Dominus, & jure optimo, quidquid vult, id facere, suisque creaturis pro libitu uti queat ; nihilominus id solum

g Pro. 8, v 31.

lum vult & facit, quod nobis utile est; suorumque famulorum voluntati mirè obsequitur, eos reficiendo epulo pretiosi Sanguinis & vitæ suæ, æqua & honesta desideria nostra antevertendo, & sponte præstanto, quod, ut fieret, rogare nos aut optare debebamus. Ad vocem Iosuë, *stetit sol in medio cœli, obedientiæ Domino*, ut Scriptura<sup>h</sup> loquitur, *voci hominis*. Moysè non permittente, noluit meritas Devs ab Israële pœnas expetere; sed ejus precibus placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum<sup>i</sup>. Idem Devs, quod magis admireris, nisi juxta oris Eliæ verba, misereri Hebræorum noluit, & non pluit annos tres & menses sex<sup>k</sup>; tametsi præ aquæ inopiâ populus contabesceret. Idem, ne Abrahamum contristaret, tum denique in Sodomam & Gomorrham animadvertisit, postquam, eo præmonito, Lothum, Abrahami nepotem, indè in locum tutum eduxisset<sup>l</sup>. Idem cum Iacobo luctatus, eidem, quemadmodum exoptabat, benedixit<sup>m</sup>.

Sancto

<sup>h</sup> Iosua 10, v. 13 & 14. <sup>i</sup> Exodi 32, v. 10 & 14, & alibi. <sup>k</sup> 3 Reg. 17, v. 1; & Iacobi 5, v. 17. <sup>l</sup> Genes. c. 18 & 19. <sup>m</sup> Genes. c. 32, v. 24 & seqq.

Sancto Thomæ Aquinati ægrotanti pi-  
scésque appetenti, ibi, ubi decumbebat, igno-  
notos ; (recentes haleces erant) eosdein  
per miraculum subimisit<sup>n</sup>. Illud ipsum usu-  
venit è Societate nostrâ viro Apostolico  
Patri Petro Canisio ; quem itidem ægrum  
vehemens cupidus incesserat carnibus certæ  
cujusdam aviculæ vescendi : qualis, frustra  
alibi quærenda, per fenestram in cubiculū  
advolavit, séque nullo negotio capiendam,  
tantum non ultro obtulit<sup>o</sup>. Tam denique  
liberalis est Deus adversus justos, ut Regius  
vates afferat, *Deum oculos suos perpetuò*  
*in ipsos conjicere; ut, quid velint, perspiciat;*  
*aures quoque patulas iisdem præbere, ut or-*  
*rationes ad se fusas audiat & exaudiat.* *Oculi*  
*Domini, inquit, super justos, & aures ejus in pre-*  
*ces eorum.* <sup>P.</sup> Si gloriari potuit Hierophantus  
Themistoclis filius, *quidquid ipsi placuisset, id*  
*populo quoque Atheniensi probari: sua enim sen-*  
*tentiæ matrem suffragari; hujus Themistoclem:*  
*cujus universi Athenienses ratum haberent decre-*  
*tum;*

<sup>n</sup> Surius tom. 2, 7 Martij, pag. 117. <sup>o</sup> Raderus ejus vita  
lib. 3, cap. 3; & eleganti pro more Epigrammate Biderma-  
nus. p Psal. 33, v. 16.

tum<sup>q:</sup> quantò meliori jure homo justus dixerit, concessam sibi esse Omnipotentiam divinam; &, quidquid ipse velit, hoc idem creaturas omnes, hoc omnes Angelos, hoc velle omnes Beatorum ordines : quoniam talis suam voluntatem divinæ in omnibus promptissimè subjicit, cum quā similiter universi cæli cives perfectissimè consentiunt.

Expendamus nunc ulteriùs, quemadmodū non suam modò immensa illa Dei Majeſtas voluntatem nostræ hominum voluntati accommodet, eamque exsequatur, cùm quid animarum nostrarum saluti conveniens ab ipso petimus ; verùm hoc amplius voluntatem & vota nostra præveniens , ea etiam bona largiatur, quæ, si cognita haberemus, enixè nobis essent flagitada; multoque adhuc majora , quām reverà petere auderemus. Enimverò quis non, ante promissa divina nobis facta, velut rem impossibilem, sperare aut petere timuisset, ut pro se Deūs hominem indueret; aut tam infami morte defungeretur ; aut panis pauxillo

ab-

*q Plutarch. de liberis educandis, sub initium.*

abditus, suis se servis manducandum præberet? Non intermisit tamen Bonitas illa infinita; quia id nobis maximoperè profutum erat, ea ipsa desideria implere, quæ nec excitare poteramus. Palam est, postulare hoc gratitudinem & compensationem mutuam, ut DEI nos beneplacitum & voluntatem, quæ semper cedit in commodum utilitatēmque mortaliū, exsequamur: postulare item, ut omnes affectus, desideria, & actiones nostræ ad ipsum referantur. Quod nisi facimus, nullam in partem ipsi satisfacimus; neque perfectum nostri ipsorum holocaustum consecramus, quale supremo isti dominio, & juri infinito, quo voluntati nostræ imperat, omnino debetur: quod sacrificium Majestati illi Æternæ, ex iis omnibus quæ à nobis ipsi dicari possunt, longè est gratissimum; quandoquidem in eo, Deo non bona dumtaxat nostra, sed nos ipsos consecramus.

Ex iis, quæ huc usque differuumus, aliud firmissimum petitur argumentum, quo docemur, numquam nostram nobis voluntatem expetendam esse: quia, scilicet,

Deus

Deus ipse, cui unius competit voluntatis propriæ perficiendæ, id tamen non facit; sed, quod ad utilitatem pertinet suorum Electorum. istud namque est, non privatam, sed communem habere voluntatem, facere, quæ sibi ipsis fieri velle debebant homines; & contraria neque facere, neque velle, quod Electis suis sit obfuturum: ut nos pariter non propriam, sed eamdem cum Deo haberemus voluntatem; nihil faciendo, nihil volendo, quod ad ejusdem honorem non spectet & gloriam; cuius solius procuratio ingentem nobis sit utilitatem allatura.

Accedit ad priora omnia, novum Deo jus acquisitum esse, quo illi ubique obsequi, ad ejusque sanctissimam voluntatem nos conformare debeamus: quia, videlicet, magno malo damnisque nostro, propriâ illiusque abusi sumus voluntate. Sicut itaque Lex XII Tabularum, furiosum, itemque prodigum, bonorum suorum administratione interdictos, in curatione jubet esse agnatorum, qui ex usu commodoque utriusque, rem fami-

*Vlpian. Tit. 13, de Curatoribus, & passim Icti.*

familiarerit aut negligentis, aut dissipantis,  
eamdem procurent: simili, immo meliori  
ratione, potestate omni voluntatis nostræ  
exsequendæ , si quam aliquando habui-  
mus , culpâ vitióque nostro planè excidi-  
mus.

Verumtamen singulari præcipue studio  
providendum est , ne umquam ex animo  
nostro discedat memoria gravissimæ istius  
rationis, obligationis justissimæ , summí-  
que & strictissimi juris Dei in nos, ad ejus  
usquequaque beneplacito obtemperan-  
dum; ideo quia est qui est , infinitè bonus,  
perfectus, pulcher, sapiens, plenus majesta-  
te, omnipotens , bonum denique omne.  
Neque ratio ulla, ut dicebam , efficacior,  
neque jus majus est hoc ipso ; quamquam  
id minimè omnium plerique mortales in-  
telligunt. Vnicum isthoc, Devum esse qui  
est, bonum supremum , bonique omnis  
summam & collectionem ; non excitat so-  
lùm nos & obligat, sed necessitatem affert  
ultra faciendi, quidquid illi placet, neque  
aliud in omni vitâ querendi. Causa hujas  
rei est; quia voluntas nostra in hos cóndita

B

est,

est, ut bonum amet. atqui ubicumque bonum summum & bona omnia conjuncta reperiuntur; si, qualia in se sunt, talia cognoscantur, necessariò amari debent. Iam verò amare, aliud nihil est, quām bene velle bonūmve aliquod desiderare ei quem amamus, bonum autem alteri seriò velle, dici non potest, nisi qui (cùm in suā id manu est) re ipsā illud præstat: alioquin neque veram, neque efficacem suam esse benevolentiam, apertè prodit. Atque uti melius nihil amico aut velle potes, aut facere, quām quod ipse placet: ita, si DEV M diligis , illius debes exequi voluntatem. Quidquid enim juris habet DEVS , ut ametur; illud idē habet, ut beneplacitū suum impleatur:& quia est, qui est, multò quām fingere animo & cogitatione possimūs, amplius juris habet, ut suam, nō nostram voluntatem perficiamus. Nam uti duo hæc nullo pacto conveniunt, DEI , & nostram facere voluntatem; profectò, quantum sibi DEVS jus vendicat, ut ipsum amemus , voluntatique ejus pareamus; tantum quoque obtainere credendus est, necubi propriæ voluntatis inclinationes audiamus.

Quæ

Quæ cùm ita se habeant , verique  
sint , quos prædicti , tituli omnes , & jus  
istud universum D E V S obtineat ; ecquâ  
tandem fronte recusare deinceps aut ter-  
giversari possumus ? Vbi ratio nostra se-  
pulta jaceret ubi lex , ubi pudor , si torobli-  
gationibus repugnare , si tot argumenta  
contemnere , si tot jura violare nequa-  
quam vereamur ? atque suam D E O coro-  
niam & diadema erectum , capiti nostro  
imponete ; pérque impudentissimam li-  
centiam , contra leges & fas omne , spe mo-  
dicæ voluptatis , damnationem nostram  
stultè operari malimus , quām salutem  
immortalitatēmque in tuto collocare , &  
Conditori ac Servatori nostro jus suum  
tribuendo , illiusque sanctissimam rectis-  
simāmque voluntatem implendo , Æternæ  
Majestatis suæ sceptrum auctoritatēmque  
divinam conservare , & ab omni injuriâ  
prohibere ?

## CAPUT III.

*Humanae voluntatis ad Divinam con-  
formationem nihil esse præstan-  
tius excellentius.*

**V**andoquidem res est tantoperè nos obligans, tam æqua, totièque Immortali Deo debita, ut nostram numquam, sed ipsius solùm, in omnibus, & ante omnia, voluntatem exsequamur; omnino conveniens est, ut, quod ad nos attinet, nihil æquè aut exoptemus, aut studio contentionèque majore consectemur. non minùs enim in eâ insunt rationes omnes, quæ nos ad illam invitent, quam obligationes quæ cogant, juráque quæ obligent. Causa præcipua & fundamentum, cur bonum experamus totóque animi impetu in illud feramur, est; quia in eo aut splendorem aliquem & honestatem, aut voluptatem, aut oblectationem, aut utilitatem observamus: & horum unumquodque sufficit, ad nos rei cuiuspiam cupiditate desideriōque incendendos. quid moramur igitur, cùm in u-

in uno hoc Exercitio conjuncta sint ista omnia: idque non qualitercumque; sed ita, ut toto terrarum orbe res nulla præstantior, jucundiörve, aut nobis fructuosior reperiatur, quam sit, propriam abjicere, & divinam implere voluntatem? Potestne excellentius aliquid præstantissime cogitari, quam quodd per hoc Exercitium ad divinam evèhamur familiaritatem, Deique Amici efficiamur? Id nos ipse Dei Filius docet, dum sic loquitur: *Vos Amici mei estis, si feceritis, quia ego principio vobis<sup>a</sup>: adeò, ut qui divinam perficit voluntatem, verè & sine omni metaphorâ atque exaggeratione dicatur, & sit Amicus Dei.*

Quod quam honorificum sit, is demum intelliget, qui cognita habeat, quæ Aristoteles<sup>b</sup>, aliisque Philosophi<sup>c</sup> tradunt de conditionibus ad veram amicitiam requisitis, dum amicorum desiderant æqualitatem, & perfectiones alias nobilissimas, sine quibus vera germanaque amicitia non possit existere. Iam verò in mundo hoc neque est,

B 3 neque

<sup>a</sup> Ioan. 15, v. 14. <sup>b</sup> Ethicorum libro 8 & 9. <sup>c</sup> Plato in Symposio, Cicero in Lelio, & alii. Vide Salianum de Amore Dei, lib. I.

neque erit, neque esse potest amicitia sim-  
cerior integrórque, quām quæ inter  
DEVM coaluit & hominem, suā voluntate  
relictā, divinæ semper voluntati obsequen-  
tem. Ad hunc talem, ut amicitiæ conditio-  
nes impleantur, tamquam ad sui similem,  
quām amantissimè familiarissimè que de-  
mittit se ex unâ parte bonus Devs; ex alterâ  
verò eundem, ut unus secum fiat, in statum  
omni humanæ dignitatis honorisque gra-  
du longè superiorem, ac planè divinum ex-  
citat & extollit. usque eò, ut pauperculos  
nos, qui mancipia ipsius sumus, volunta-  
tem suam exsequentes, suam ad familiari-  
tatem evectos, Amicos compellet: quo ti-  
tulo nec sublimius aliquid, nec glorioius  
possimus exoptare. Ac licet Reges morta-  
les, clientes suos, quantumcumque fidos &  
in imperatis faciendis sedulos, Amicos  
nominare aut æstimare dedignantur; quo-  
niam sic existimant, nulla tanta in ullo sibi  
subiecto merita reperiri posse, quibus sub-  
limis iste Regii Amici titulus quoquo mo-  
do debeat: Devs attamen immortalis, fi-  
delem & voluntati suæ obtemperantem  
subdi-

## CAPVT III.

31

subditum tantoperè cohonestat, ut hoc quoque ipsum honore augeat; hunc cum eo titulum communicando, quem terreni Principes, quasi nimiùm honorificum, ne iis quidem, quibus plurimùm se debere factentur, volunt concedere. Et nos tantam hanc dignitatem, quam illud solummodo, ad quod mille nominibus obligamur, exsequendo, consequi possumus, ob rem nikili stultè amittamus?

Anima, quæ DEI facit voluntatem, non participat modò sumimum istud bonum amicitiæ divinæ; verùm, propter arctissimū cum illo vinculum & conjunctionē firmissimam, condecoratur illa quoque incomparabili hoc & invidendo titulo, SPONSÆ DEI. Cujus tanti honoris præstantiam amplitudinemque non difficulter perspicies, si discrimin illud cogites, quod inter duas intercedit Rustici alicujus filias; quarum altera, pari nupta, ligonem assidue manu verset & sarculum; alteram verò potentissimus Imperator aliquis uxorem acceperit. quām tu aliâ atque aliâ censes utramque conditione vitam traducturas? quām diverso in

B 4

ho-

honore & pretio apud omnes futuras? Non minus tamen, immo longè, magis inter se differunt Anima illa, quæ DEO de sponsa, omnemque illi affectum suum & amorem consecrans, fide optimâ, nihil suo arbitratu aut vult aut facit; & Anima alia, quæ desiderio & cupiditati propriæ obsecuta, creaturis, quamvis absque graviori culpâ, commiscetur. hæc enim abjecta permanet, in honora, & agrestis; quantum scilicet affectus illius terræ affixi sunt, rebūs que caducis: illa contrà, ad nobilitatem dignitatēmque proiecta divinam, maximo honori & admirationi est Sanctis Angelis, perfectūmque consequitur dominium sui & rerum omnium cōditarum. Videmus universa nobiliora reddi, si præstantioribus, quam sunt ipsa, conjungantur: id quod in aëre patet, qui luminis accessione sociatéque illustratur. multò itaque amplius DEO conjuncta & unita anima, tota fiet divina; nobilitatēmque & dignitatem quamdam supernaturem obtinebit, quam ipsi met Angelorum chori admirabundi venerabuntur. Atque istud est, quod graves

Docto-

### CAPUT III.

33

Doctores affirmant; cælestes illas Mentes  
magno numero accedere, quò animabus  
divinæ voluntatis verè perfecteque studio-  
sis assistant, eásque comitentur <sup>d</sup>. Veniant  
nunc ambitiosi laudisque ac gloriæ huma-  
næ cupidissimi mortales, dicántque, quó-  
nam majore quàm iste sit, honore suos Or-  
bis Monarchas possit afficere? quānam ap-  
paratiore pompâ, comitatûque eos ornare,  
qui triumphantes Vrbeim invehuntur?  
Ah! mi DEVS! quæ, & qualis erit Anima,  
tam nobili cincta beatorum istorum Spir-  
ituum coronâ! Nobiliorésne umquam ul-  
lus in hoc mundo Cæsarum habuit sui cor-  
poris custodes? Neque enim splendor hic  
& maiestas minoris propterea æstimanda  
est; quòd oculis non conspiciatur exterio-  
ribus: quin immo tantò credi debet augu-  
stior; quia à sensibus remora nequit com-  
prehendi. Et verò, quæ major potest esse  
dignitas & gloria, quàm idem habere offi-  
cium in terris, quod Beati omnes & Angelî  
in cælis; atque hîc incipere, quod in domo  
Domini perpetuò simus continuatur?

B 5

Potest-

<sup>d</sup> Vide Iac. Hantini Angelum Custodem.

Potestne ad extreñum quidquam p̄fstantius honorificentiūsque reperiri, quām eodem in munere versari cūm DEI Filio, qui voluntatem Patris diligentissimè implevit, eidem factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis e? De vs, ut ostenderet, quanto honore dignus esset Abbas Stephanus, quem carnibus vescentem germanus frater temere jūdicaverat; hunc reprehendit, ostenditque in ecstasi quemdam dicentem illi inter cetera: Nempe propterea scandali Zarī non debuisti; nam si merita & gloriā fratris tui videre cupis, retro convertere, & vide. Conversusque vidit fratrem suum crucifixum cūm Dominō. Aitque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in quā gloriā frater tuus est! Vnde non obscurē intelligis, maximum, qui singi possit, honorem esse, cruci cūm Christo suffigi; penitusque propriæ voluntati mortuum, secundūm Dei vivere Voluntatem.

Ca-

¶ Philippi, i, v. 8: f Vita Patrios libro X, cap. 6.

## C A P V T IV.

*Nihil in mundo esse jucundius, quam  
propriam ex toto abnegare vo-  
luntatem, & amplecti  
Divinam.*

**P**RÆTERquam quòd sit honoris plenissimum, nullà in re suam, sed Dei in omnibus voluntatem implere; nihil eo ipso existit jucundius, ut tam grato saltèm efficiètque titulo ad nobilissimum hoc Exercitium amplectendum incitemur: cùm jucunditas tantum possit in hominum animis permovendis, & re quâpiam persuadendâ. Humanus honor dependet ille quidem, ut plurimùm, ab arduis molestisque actionibus; neque, nisi cum labore & difficultate, impetrari potest: at huic Exercitio inest illud commodi planè singularis, ut illius usu supremum, qui in mundo hoc sperari potest, honorem consequamur; nimirum, ut simus Amici Dei. qui honor in se ipso jucundissimus & acceptissimus, optatissimam animi pacem tranquillitatémque

adducit. Tametsi autem, primo velut intuitu, novum quodammodo & incredibile appareat, jucundum esse, se ipsum abnegare, &, quod amplius est, nullâ in re suâ obsequi voluntati; illud tamen verè propriè dicitur, clarumque fit & evidens exemplo Beatorum in cælis: quibus nemo minus habet propriæ voluntatis, nemo gaudiorum plus & sincerissimæ voluptatis. Tantùm abest igitur, ut mortificatio & abnegatio propriæ voluntatis, molesta sit & cruciet; ut nec ipsa beatitudo, sine omnimodo ejusdem voluntatis annihilatione, quòd sic divinæ conformetur, possit consistere. Sufficiunt sanè ista, ad nos confirmandos metumque ad imedium, ne suspicemur rem esse retricam, fastidiosam, & acerbissimi mœroris plenam, propriâ conculcatâ voluntate, complecti divinam. Non impedit quidquam aut obturbat gloriam Angelorum, quòd sint, Davide de ipsis testante<sup>a</sup>, facientes verbum DEI, hoc est, illius voluntatem & imperia: id enim singulari cum gaudio & voluptate præstant, mirè cupidi at-

<sup>a</sup> Tsal. 102, v. 20.

tentique ad audiendam vocem sermonum ejus<sup>b</sup>, ad nova ab eo mandata recipienda & persequenda; non aliter, quām famelicus infans, cui cupidiæ delicate cibi præbentur, scutellam, plura expectans, idemtide respectat. Atque hæc ipsa voluntatis propriæ abnegatio & cum divinâ conformatio, Beatos tam suaviter afficit; ut plus inde gaudii capiant & voluptatis, quām ex ipsâ gloriæ & beatitudinis suæ magnitudine. Magis eos recreat & oblectat DEI voluntas, cupientis eos salvos fieri, quām ipsiusmet salutis fruitio.

Hujus rei exempla in hoc quoque orbe non desunt, eorum Sanctorum, qui nullâ in re suæ servientes voluntati, & in omnibus sibi morientes, pacatissimo animo læti perpetuò jucundique agebant. Sancto Francisco Xaverio nihil æquè in votis erat, quām ut suam voluntatem abdicare, eāmque divinæ impéndere liceret. hanc ob rem preces suas omnes his Paulli verbis concludebat: Domine, quid me vis facere<sup>c</sup>? Vivebat ille porrò in tantis spiritus deliciis; ut iis ferent

B 7

dis

<sup>b</sup> ibidem. c Act. 9, v. 6.

dis impar, tunicâ ab æstuanti pectore manibus didictâ, has voces iterare cogeretur: *Satis est, Domine, satis est*<sup>d</sup>; ob superfundentis se lætitiae cælestis & solatiorum divinorum, quibus ipsius animus undique circumfluebat, multitudinem & ubertatem, DEVM rogans, veller immensam illam suavitatis & misericordiæ tantæ copiam aliquantum temperare. Idé Sanctus in Meacensi itinere divina meditans, iisdem cælestibus gaudiis usque eō inundabat, ut crura ac pedes, stirpibus eos lapidibusque offensans, sine ullo doloris sensu laceraret.<sup>e</sup>

Sanctum Ephræmum par cura studiūmque voluntatis divinæ exsequendæ pari similiter voluptate usque eō perfudit; ut tantarum et ipse deliciarum gaudiorūmque impatiens, voces tales ad DEVM mitteret:<sup>f</sup> *Multiplicata est super me gratia tua, quæ etiam meam satiavit famem, & refrigeravit sitim; mentemque meam tenebris plenam illuminavit, & cogitationes meas ab errore collegit atque reduxit.* Et nunc, Domine DEVS meus, adoro & imploro

<sup>d</sup> Tursellin. Vita ejus lib. 6, cap. 5. <sup>e</sup> Idem ibidem. <sup>f</sup> Breviora Anteriora verba non reperi apud veterem Scriptorem.

imploro ineffabilem benignitatem tuam, infirmitatem meam confitens; remitte paullulum undas gratiae tuae, illamque mihi in thesaurum tuum adserva, ut rursus eam mihi tribuas in die illâ. Ne igitur irascaris mihi, benignissime Domine: quia enim inundationis illius fluctus ferre non sustineo; ideo audacter & temere deposco. nam supra modum multiplicata est in me, meaque infirmata est lingua, illam eloqui atque explicare nequiens. Figura, ac splendor infinitae gloriae benedicti Patris, aliquid jam mihi ex ejus inundatione remitte: nam ignis instar, renes meos & cor meum adurit.<sup>g</sup>

Majus est, quam ut explicari possit, liquidum illud perpetuumque gaudium, quo perfruitur fortunata illa Anima, quæ voluntatis ac desideriorum suorum omnium modum regulamque habet unicam, Voluntatem Divinam. Verè enim Doctor ille<sup>h</sup>: Gaudium aliquod continet secundumque trahit quacumque cujuscumque voluntatis impletio; sed voluntatis impletio divinae, quando nempe ho-

mo

<sup>g</sup> S. Ephræm Tomo 3, Sermon de vita Religiosa & Monastica, sub finem, mihi pag. 557. <sup>h</sup> Vide hac aliisque hujus Capitis in Auctoris egregio Opere de adoratione in spiritu & veritate, Antwerpia edito, lib. 4, cap. 13.

mo voluntate aliâ nullâ regitur , quâm divinâ,  
gaudium continet omnino divinum : intérque  
eum , qui propria obsequitur voluntati ; & alte-  
rum , qui hâc contentâ , divinam sequitur vo-  
luntatem sui Conditoris , ea intercedit differentia ,  
ut prior vanam solum voluntatis humanae , poste-  
rior autem veram percipiat voluptatem volunta-  
tis divinae . quæ voluptas voluptates omnes alias  
immensum exsuperat , participatque torrentem  
illum voluptatis eternæ ; cui quidquid inferior hic  
orbis dulce , jucundumque habere videtur ; quia  
in infinitis partibus minus est , comparari non mere-  
tur . Luculentus hujus rei testis est Rex Da-  
vid , qui non uno in loco voluptatem hanc  
& delectationem agnoscit . Ejus sunt ista a-  
licubi : In viâ testimoniorum ( sive mandato-  
rum ) tuorum delectatus sum , sicut in omnibus  
divitiis ; & alibi de iisdem . Desiderabilia , in-  
quit , super aurum & lapidem pretiosum mul-  
sum , & dulciora super mel & favum k .

Atque ut ne putemus solum Davidem i-  
ta sensisse , aut per modum amplificationis  
ista locutum ; audiamus hujus temporis ,  
sanctitatis laude celebrem florentemque  
testem ,

*¶ Psal. 118, v. 14. ¶ Psal. 13, v. 11.*

testem, eique affirmanti credamus, quam  
copiosum gaudium collegerit ex abnega-  
tione suæ voluntatis. Venerabilis Virgo,  
Domina Ludouica de Carvajal, intiuos  
suæ hâc in parte animæ sensus istis ferè ver-  
bis conatur explicare: Posteaquam lucis divi-  
nae beneficio nôsse cœpi thesauros qui reconditi la-  
tent in cognitione voluntatis divinæ, subiit ani-  
mum meum vehemens hujus virtutis amor; qui  
ad illius actus multiplicandos, suavissime me dein-  
de excitavit: cùmque ejusdem dignitatem pre-  
stantiamque frequenter considerarem; sensi ani-  
mam meam ad hoc usque tempus, magis quorū-  
die magisque illustrari; adeò, ut secundum id,  
quod in me modo experior, prorsus mihi impossi-  
bile videatur, quidquam ut velim divine con-  
trarium voluntati: in quâ tantum reperit anima  
mea felicitatis, gaudii & gloria; ut eti am si in ni-  
hilum eam redigi, aut ad inferni pœnas damnari  
oporteret, longè maximam tamen, etiam modi-  
co illo temporis spatio, quo suam voluntatem cum  
divinâ liceret conformare, voluptatem se credat  
percepturam. immo, vel sola isthæc cogitatio, fu-  
turum, ut DEV S me annihilando, eâ voluntatis  
suæ adimpletione honoraretur, aut certè, quod  
pellet,

vellet, ficeret; ita me afficit, ut nullum aliud in mundo gaudium esse existimem, quod isto sim mutatura. Atque hæc ratione, quidquid quomodo-cumque mihi accidit, levius fit & dulcescit, cum ad DEVVM me verto, illique dico: Quid tandem gratius esse potest optatiusque, Domine, quam voluntas tua? quid mihi jucundius evenire, quam ut voluntas tua cum meâ usquequaque consentiat? estque hoc in rebus molestis omnibus unicum refugium solatiumque meum, quod ex pace illâ & tranquillitate nascitur: unde mirabiliter reficitur & recreatur anima, sed atque sit tam variorum ejus desideriorum, ipsaque roboratur ad progreendiendum, donec virtutem hanc, divinâ gratiâ adjuvante, quoad in vitâ hâc fieri potest, plenè perfecteque possideat.<sup>1</sup>

Gaudium hoc adeò est singulare & præstans, ut ipsa etiam tormenta & cruciatus suaves reddat & expetendos; quod hæc ipsa DEI famula Christique sponsa verbis sequentibus apertè confitetur. Difficulter quidem capio, quo demum modo in istâ mutuâ divinæ

I Adderem locum, si Vitæ ejus historia ad manum esset. id quod alibi quoque cogitabis, ubi testes non adscripsi: quamquam Auctor pro teste esse Cordaso Lectori posse.

divinæ ac humane voluntatis consensione (pro eo  
ac mihi sola divini Spiritus illustratio ostendit, &  
inexpertam edocuit) res ulla gravis & molestæ  
dici possit: quandoquidem ad animam talem, in  
terrestrem hunc, immo cælestem Paradisum, per  
resignationem absolutam, jam ingressam, labores  
& molestiæ vix se penetrabunt; ideo quod eadem  
divino convestitæ sole, adeò illustres, pulcræ, ju-  
cundæque reddantur, ut iisdem etiam delectetur:  
ac licet sentiantur, quod & naturâ sensibi-  
les admodum sint, neque sensus omnis tolli con-  
tinuò soleat; DEVS tamen easdem admirabili  
quâdam lætitia & suavitate benignissimè mode-  
ratur & temperat, tantumque hic aliquando a-  
moris magnitudo crescit & exuberat, ut etiam si  
omnem, qui in venis est, sanguinem, in summi,  
ad quod aspirat, Boni gratiam, fundi conspiceret,  
expleri nihilo-minus satiarique non posset. Ha-  
ctenus illa, quam dixi, DEI famula. Beata i-  
tem Magdalena de Pazzis, quæ semper Di-  
vinæ Voluntati adimplendæ studebat, à sen-  
sibus abducebatur, cùm hac de re loquere-  
tur; fuitque cùm cæli deliciis ebria, in quâ-  
dam suâ ecstasi, ita loqueretur: Probè nôsti,  
mi sponse, à primis annis desiderasse me placere  
tibi.

tibi. Quod si nunc intelligerem, velle te; ut aten-  
nūm apud inferos affligerer; hoc ipso momento in  
istas me flamas conjicerem. Tum ad sorores  
conversa, subjecit: Non percipitis, quantam  
suavitatem habeat, sola hæc vocula, VOLUNTAS  
DIVINA?

Præter rāmen favores illos, solatia, &  
gaudia, quæ supra naturæ ordinem cle-  
mens Dei animabus voluntati suæ divina  
singulariter deditis & devotis largiri soleret;  
indidem velut necessariò consequitur, i.  
stiusmodi homines planè sine dolore, ma-  
gnâque in pace animi & lætitiâ cordis sui  
vitam transigere; cùm voluntas propria,  
caussa sit unica miseriarum omnium & tæ-  
diorum vitæ hujus, non verò res ipsæ ad-  
versæ. Quid, quæso, turbat nos & cruciat,  
quàm quòd aut aliter quid cadat quàm vel-  
leimus? aut, quòd error alicubi committa-  
tur, quem commissum nollemus? Qui suam  
voluntatem exuit, ab hoc malo prorsus im-  
munis est. nihil iste facit, nihil vult, nisi  
quod vult Dei: & quia voluntatem aliam  
nullam habet, quàm divinam, quæ falli non  
potest; nihil ei contrà accidit quàm velit. o-  
ptimè

ptimè illi in omnem partem provisum est; quoniam aliud fieri non optat, quam quod facit Deus; & cōquelātus dedit & securus, quod voluntas ejus, etiam afflictissimis temporibus, semper impleatur, & quidquid Deus vult, id èt ipse velit, Deoque planissimè consentiat. Tum deinde in iis, quæ ex divino agimus beneplacito, aberrare non possumus; adeoque nec tristari, nec queri de eo quod sic factum est: quin immo gaudere potius, quia Deo serviamus, ejusque voluntatem exsequamur; idque cum pace illâ gaudióque, quod è bonâ rectâque conscientiâ nasci solet. Gaudiorum itaque plenus est homo ejusmodi; neque aliud quidpiam ultrà desiderat. Verum quam longè diversa illius est ratio, qui propriæ attendit voluntati? Nam cum desideria contûsque suos undequaque impeti videat, evertique, & impediri; ex unâ parte tristatur & dolet: ex alterâ autem errores imprudentiâque suam & stulta consilia recordantem pudor nimius inœrörque conficiunt. Multi Philosophorum in divinarum rerum

vel

en Aris. I Ethic. c. 4 in fine; & Ethic. c. 11; Themist. or. 17, & aliis.

vel ignari, vel immemores, solamque respi-  
cientes vitam temporalem; ad eam sine mo-  
lestiâ traducendam, dicebant necessarium,  
ut quis cupiditates suas omnes relinquet,  
eaque ficeret quæ viro sapienti & bono re-  
cta viderentur, aut quæ ipse talem aliquem  
suisurum præcepturumque existimaret.  
Quantò id justius ipsiusmet faciamus, & fal-  
lacia desideria nostra in melius commutan-  
tes, divinam solum voluntatem, utpote sa-  
luitarem nobis & proficuam, exsequamur;  
cumdémque DEVM, habeamus Magistrum  
& Moderatorem actionum nostrarum, fa-  
ciendo, quidquid vel per se ipse, vel ejus vi-  
carii, vel recta ratio suadet imperatque?

Ex his, quæ huc-usque dicta sunt, se-  
quitur, divinæ voluntatis impletionem non  
singularis modò gaudii caussam esse; sed si-  
ne eâ præterea veram securamque delecta-  
tionem nullam sperari posse. Primò qui-  
dem: quia si amor se noster effundat in rem  
aliquam creatam; cum illa, pro eo ac fluxa  
est & inconstans, nos deseret, omne pariter  
gaudium nostrum in multò majorem tri-  
stitiam tædiūmque convertetur: idque id-  
.circe;

circo; quia ea est rerum omnium mortali-  
um conditio, ut multò nos magis crucient  
cùm abeunt, quàm oblectent cùm adsunt:  
adeoque plus ex illis doloris & molestiæ,  
quàm commodi percipitur & voluptatis.  
Solus is qui DEO nititur & fudit, verum ob-  
tinet gaudium , ut bene dixerit S. Augusti-  
nus <sup>n</sup>; *Qui vult securus gaudere, in illo gaudeat*  
*qui non potest perire: & in excerptis ex eo sen-*  
*tentiis S. Prosper <sup>o</sup>; Non potest umquam frau-*  
*dari delectationibus suis, cui Christus est gaudi-*  
*um. Æterna enim exultatio est, quæ bono latatur*  
*æterno . Acus nautica non quiescit, donec*  
*Septemtrioni obversetur , polumque Ar-*  
*cticum rectâ aspiciat; & in quamcumque*  
*tandem aliam partem convertatur , num-*  
*quam consistit: ita Cor nostrum, quod non*  
*ad aliud quidquam, sed ad se solum , fecit*  
*DEVS , in centrum sive naturalem perfe-*  
*ctionem suam propendet & inclinat; ne-*  
*que antè potest conquiescere, quàm ad su-*  
*um respiciat Conditorem. P*

Etiamsi deinde res creatæ, æternæ quo-  
que

<sup>n</sup> Enarrat. in Psal. 84 ante medium. Vide eundem Enarrat.

in psalmos 86. 96 & 144; & lib. 10 Confess. cap. 22 & 23.

<sup>o</sup> num. 90. p Vide Solilog. August. cap. 30.

que essent; tam tamen sunt exiles & modicæ, ut desideria cordis nostri satiare nequeant: cuius sitim cupiditatēsque unus & solus explere potest Devs; adeoque istis numquam plenè acquiesceret anima nostra. Hinc sit, ut perinde sit, multūmne avarus an paxūm habeat; quandoquidem non contentus iis, quæ acquisivit, plura semper & plura sine fine & modo desiderat. Res temporales vitæ hujus occupare quidem possunt animum & postidere; at implere nullo modo possunt <sup>q.</sup>. Solius id DEI proprium est, quem proinde in eo quiescere optimum: quoniam res ceteræ, cor non explentes, illud turbant potius impediuntque, quò minùs eidem DEO vacare possit.

Hujus autem, DEI, inquam, longè alia natura est. tametsi enim cor ille nostrum usquequaque impleat; minimè tamen illud sic implicat & involvit, quin aliis quoque negotiis attendere, exterisque amoris actus elicere, & totum insuper mundum propter DEVUM diligere valeat: usque adeò,

ut non

<sup>q.</sup> Vide Roderic. Tom. I, Tr. 8, cap. 5, & Beckforda Latin. p. 111.

ut non sit cor ullum reperire magis vacuum, liberum, & expeditum, tum ipsimet homini, tum ad alios omnes sincerâ caritate complectendos, quâm illud, quod plenè integrèque implevit se-ipso DEVS.

## CAPVT V.

*Nihil nobis melius utiliusve esse, quam quod vult DEVS.*

**Q**uod si ea quæ diximus; ad Divinæ, scilicet, Voluntatis, propriâ abjectâ, impletionem, & maximè nos obligari, eamdémque honestam in primis esse ac jucundam, minùs adhuc sufficient, ad hoc cuiquam persuadé dum; eum utilitates præterea & ingentia commoda indidem provenientia, expéndere atque aestimare velim. si enim spes lucri incerta in rebus inutilibus, immo periculis etiam & noxiis, tantùm valeat ad animos hominum permovendos; ut propterea quietem suam, patriam, liberos, uxores deferant, libenter exulent, & terrâ marique, in locis desertis, inter mille discrimina, vitam transigant, omnia periclitantes,

C

tantes,

tantes; ac tot támque multiplices labores, tædia, & incommoda exhaustientes: num quid fructus & lucra maxima è divinæ voluntatis executione, certò, uti paullò pòst videbimus, secura, eadémque cum tantâ jucunditate, honore, & tam multarum obligationum satisfactione conjuncta, multò nos justiùs impellant & incitent, ut desideria nostra relinquamus ; idque nullo cum vitæ aut fortunarum periculo, cum fiducia potiùs non dubiâ vitæ sempiternæ ?

Iam verò ad intelligenda commoda voluntatis ad divinum beneplacitum, suo repudiato , planè conformatae, illa cumulate satisfaciant; hominem eâ ratione liberum reddi ab omnibus molestiis & erroribus, recteque semper & securè progredi in cunctis actionibus suis : quandoquidem nihil nobis utilius, immo, ut verius loquar, nihil omnino utile est , nisi Dei; nihil noxiū magis, quam propriam facere voluntatem, quæ sine dispendio fieri numquam potest. Nimis quàm verus est communis iste Sanctorum sensus, Voluntatem propriam radicem esse & originem omnis mali. Ari-

stoteles

stoteles ipse, ut quis prudenter agat neque aberret in judicio faciendo de re aliquâ, in operante, velut justitiæ fundamentum, rectam bonâmque requirit voluntatem, ab omni proprio amore vacuam, affectibusque carentem<sup>a</sup>. adeò ut, tum ne perperram in rebus nostris judicemus; tum ut cum fructu cuncta faciamus, necessariò non nostræ obsequi voluntati, neque cupiditatibus desideriisque propriis regendos possidendosque nos permittere; sed, sine omni ad res creatas affectu, solam Dei voluntatem exsequi, eâmque unam spectare debeamus: quia ceteroqui fieri nullo pacto potest, ut rectè agamus propositumque affequaremus. Quàm multis, quæso, morbis nostris caussam præbuit nostra cibi potusque intemperantia? quantam ira aliisve effrænatus & indomitus affectus lucrionibus multis attulit facultatum jacturam? in quatas eos præcipitavit calamitates? quantum adduxit tedium? quàm molestas sollicitudines? quàm gravem animi perturbationem & turbas? Ut ilius nobis profectò nihil,

magisque necessarium erat, quam ut hâc ratione excuteretur nobis è manibus gladius, quo nos ipsi iugulamus; ut venenum effunderetur, quo nos met-ipsos inficimus; ut sepelirentur comburerenturque omnium malorum incommodorumque nostrorum instrumenta; atque ut Dæmon ille, tam nobis molestus, ex animâ nostrâ exturbaretur.

Opportunè prorsus ad rem, de quâ disserimus, Abbas Abraham, rogatus ab Abbatte Pimenio: *Quemadmodum nos Dæmones impugnant?* respondit: *Dæmones nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus; sed nostræ nobis voluntates, Dæmones facti sunt, & tribulant nos<sup>b</sup>.* Voluntas propria, pessimus est Dæmon, qui nos prosternit; acutissimus gladius est, guttur nobis præcidens; venenum est, cum primis noxiis, ad cor ipsum pervádens; mors est fallacissima, nos intermens. Pulchrè itidem S. Anselmus voluntatem propriam cum herbâ venenatâ & letiferâ comparat; vehementer admirans, qui fiat, quod, cùm primis illam parentibus nostris

<sup>b</sup> *Vit. Patr. Rosseveydi. lib. 7. cap. 25. num. 3.*

nostris mortem attulisse sciamus, ab eâ non  
refugiamus, totóque corpore perhorresca-  
mus ejusdem malitiam? quam Beatus iste,  
quem dixi, his ipsis verbis declarat: *Propria  
voluntas, inquit, cuidam herbæ venenosæ atque  
mortiferæ assimilatur & comparatur: quam Me-  
dicus quidam peritissimus progeniei cuiusdam,  
primis, scilicet, parentibus, interdixit, commina-  
tis eis; quia si ex eâ comedenter, leprosi effecti pro-  
cul dubio interirent. At illi præceptis ejus obedire  
noluerunt; sed ex eâdem herbâ comedenter: unde  
èt leprosi effecti, leprosos quoque filios genuerunt;* &  
*atque, ut Medicus eis comminatus fuerat, mortui  
sunt. Quorum filii, licet patres suos agnoverint  
herbâ illâ infirmatos fuisse, & mortuos, séque i-  
psos leprâ percussos; eamdem tamen herbam su-  
per omnes alias diligunt, indéque cibos universos  
suos condunt. Manè surgentes, ex eâdem, quasi  
pro medicamento, accipiunt: sed èt somnum sero  
capturi, similiter faciunt. Hi igitur quām sint  
dementes, omnis, qui audit, adverterere potest. Sed  
nec minus dementantur, qui propriâ voluntate  
utuntur. Ipsa est etenim herba, Diaboli veneno-  
sâ suggestione venenata, & omnibus eâ utentibus*

pestifera. Hanc DEVS, qui nostris piè medetur peccatis, primis humani generis parentibus interdixit; cùm eos comedere pomum, sub mortis comminatione prohibuit. Qui, quia præceptum ejus transgressi, ex eo comedenterunt, mox peccatores effecti, & in animâ mortui, postquam alios peccatores genuerunt, èt ipsi carne mortui sunt. Homines tamen eamdem voluntatem præ ceteris diligunt, & eam immiscent omnibus penè, que agunt. Nihil itaque istis dementius, qui nihil utuntur suâ morte libentius.<sup>d</sup>

Hoc modo S. Anselmus detrimenta ex voluntatis propriæ adimpletione nascentia declarat, nostrámque simul insignem dementiam, qui eamdem nondum detestemur. nam etiamsi nihil esset, quod nobis timeremus à voluntate propriâ; vel ideo tamen, ut tam crebra, etiamsi temporalia tantum, incommoda, ab eâdem accepta, ulcisceremur vindicaremusque, ea nobis audienda non foret. quid erit igitur, si spiritualia damnâ æternorūmque bonorum amissione consideremus? Quoties, obsecro, voluntati nostræ morem gerendo, alterum

*d est S. Anselmi de similitud. caput 38.*

jam

jam in inferis pedem posuimus? quanta cælestia dona dilapidavimus? quoties gratiam & sanguinem Filii Dei conculcavimus & aspernati sumus? Iure igitur ac meritò fatigantur oportet, divinam nobis voluntatem, etiam eam solùm ob causam explendam esse, ne nostræ obsequamur; utque contra nos ipfos provisum nobis sit atque prospectum.

Quid commodis nostris aptius esse potest, quam ut ad evadendum dubitationes anxietatésque tam frequentes, quæ in eo, quod maximè nobis expedit, decernendo occurunt, oculos nostros in illam, ut sic loquar, Cynosuram voluntatis divinæ, aliud nihil quam lucrum emolumentumque nostrum spectantis, defixos habeamus? quid prodeesse amplius, quam artem reperiisse, modumque semper faciendi id, quod comprehendiosissimum sit? Quare non possumus revera melius aliquid fructuosiúsque nobis velle, quam quod vult Devs. Nā quod boni quidpiam alteri velimus & desideremus; id nascitur ex illius amore: estque voluntas hæc & desiderium tantò intensius, quantò

amor vehementior. Quemadmodum igitur Devs seclusâ omni comparatione sinceriùs nos amat, quām amemus nos ipsi; ita planè boni quoque plus nobis vult ac desiderat, quām ipsimet velimus & desideremus. Indè verò errare non potest Devs in cognitione ejus, quod nobis conductit; quia Sapientia est infinita: neque providentia ipsius, uti nostra, lapsionibus fallaciis que multis obnoxia est; præterquam quòd, quid nobis expediat, ipsimet ignoramus. Quare si falli nolumus, illius necessum est sequamur voluntatem, commodorum nostrorum, sine omni errandi periculo, semper studiosissimam; idque infinitè magis, quām vel optare possemus: in tantum, ut nihil nobis sit utilius, quām id quod vult Devs; ideoque, nisi nos ipsi oderimus, aliud quoque nihil velle debeamus. Ah! quām multos Christianorum in ruborem dat Epicetus, Philosophus ethnicus; cuius ista nos castigantis oratio est: *Mancipium, numquid aliud mavis, quām id quod magis conductit? Quid autem conductit magis, quām quod DEO visum est?*

*est? Cur (quantum in te quidem est) Iudicem cor-  
rumpis, & suasorem seducis?*

Quia verò duas Voluntas Divina partes complectitur; alteram, facere quidpiam jubentem, pati jubentem alteram, veluti cùm morbis nos, laboribus, rebúsque molestis aliis, in bonum & satisfactionem nostram, affligit; propterea considerare nos decet, D E V M non infinitè modò bonum, ideóque bona nobis velle omnia: non infinitè modò sapientem; ideóque nec in cognoscendo falli posse: verùm èt infinitè potentem esse. ita, ut non sit adscribendum ipsius imbecilitati, cùm istiusmodi nos miseriis molestiisque non eximit; quoniam utrumque à què illi facile est & expeditum: verùm quia probè nōrit, eas nobis proficias fore; pro eo ac utilitatem nostram amat, singulari dispositione Omnipotentiæ suæ, in iis nos attinere; easdémque immittere, ut quæsum inde uberrimum colligamus.

Quidquid hactenus dissenserii, clarissimè demonstrat, quām eximiam utilitatem habeat, illud solùm & facere, & velle, quod illi

*C. 5. inf.  
e Epict.lib.2.dissert.cap.7.in fine.*

infinitè potenti, sapienti & bono probatur  
Domino; non verò quod nostræ arridet vo-  
luntati: quæ neque peritè prudenterque de-  
siderare quidquam potest, neque re ipsâ  
expedire. Numquam deinde amore pro-  
prio ita contenti pacatique vivemus, uti di-  
vino: & incredibili quâdam in negotiis no-  
stris omnibus consolatione necessariò per-  
fundimur, quoties in mentem venit, quid-  
quid Majestas illa Æterna constituit, unicū  
istuc salutare nobis esse atque fructuosum.

Res ceteras universas, ipsa quoque desi-  
deria nostra, aliud quām DEVM spectantia,  
tamquam latentes hostium infidias, jure  
suspecta habeamus, ab iisdemque malè no-  
bis metuamus. Quin immo, si DEVS arbitrio  
voluntatique nostræ rem quampliam con-  
cederet, magno esse in metu debereimus. Ita  
B. Franciscus Borgia, cùm ejus arbitratui æ-  
grotantis conjugis vitam ac salutem com-  
misisset DEVS; ipse propriam reformidans  
voluntatem, gratiâ istâ privilegióque uti  
noluit: sed divinæ rem omnem providen-  
tiæ plenè consignans, rogavit Dominum,  
de eâ pro libitu suo statueret, neque  
suæ

suæ ulla tenus optioni potestatique per-  
mitteret <sup>f</sup>. Verè DEI voluntas justa adeò  
est rectæque rationi conformis; adeò i-  
tem nostrorum amans commodorum, ut  
alio nullo argumento caussâque , ad  
eam in omnibus exsequendam, egeamus.

Hinc porrò commoda alia multa conse-  
quuntur. possitne enim utilius aliquid exi-  
stere, quam, quod superiùs memorabam,  
solâ divinæ voluntatis adimpletione ple-  
num nos perfectumque jus acquirere, ut  
amicum habeamus ipsummet DEVUM? cu-  
jus amicitia haudquaquam infœcunda est  
aut sterilis, & solâ contenta benevolentia;  
verum operatur perpetuo, fructusque pro-  
fert maximorum beneficiorum. Quem-  
cumque DEVS diligit amicumque suum æ-  
stimat; eum gratiis favoribusque singulari-  
bus cohonestat. quo igitur modo amicitiae  
hujus emolumenta possint esse exigua?  
Usque adeò se præterea Majestas divina  
nostræ hominum voluntati accommo-  
dat , ut desideriis famulorum suorum  
yotisque accuratè semper respondeat.

<sup>f</sup> Ribad. in vita Borg. lib. I, cap. 12.

Quapropter si frugi eum homines servum esse dicunt, qui Domini sui iussa voluntatēmque ad amissim exsequitur; quām supra omnem modum ē re nostrā erit, DEVM habere Omnipotentem, optatis desideriis que nostris exactissimē obsequentem? hinc David, DEO loquens, ejusque cum viro justo agendi modum indicans, dicebat: *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*; hoc est, omnia, quæ optare posset aut petere, es elargitus.

Quid jam erit, si divites illos meritorum thesauros cogitemus, quos hoc Exercitio lucrifacimus; omnia DEI amore, & sanctissimæ ejus voluntatis implendæ studio, exsequentes? Tantumdem inest in eo quæstūs & compendii, atquè si quis ex putri ligno, rudibūsve saxis putum purūmque aurum conficeret. Actiones etenim de se-ipsis minime meritoriae, quas indifferētes dicimus; & quæ ad naturæ sustentationem requiruntur, uti edere, bibere, dormire: ea item, quæ, et si ex se DEO gratæ, minoris tamen excel-

*¶ Psal. 10, v. 3.*

excellentiæ sunt, hujus Exercitii præsidio nobilissimæ fiunt, inque altissimum virtutis, caritatis, scilicet, gradum extolluntur; quia sic Deus indesinenter diligitur. cùmque voluntatum mutua consensio certissimum sit amoris argumentum; hic talis idem semper vult & non vult, quod Deus: adeoque meretur etiam dormiendo; quia quietem & somnum capit solum ad majus Dei obsequium & beneplacitum. Ex quo sequitur; eum, qui hoc animo modoque res suas agit, multa facere opera admodum meritoria; qualia sunt opera excellentissimæ maximæque meritoriae virtutis, caritatis, nempe, & amoris Dei, ex voluntatum concordia promanantis.

Neque exercetur tantum hâc ratione amor divinus; sed continuo quoque incremento augetur: quoniam quisquis affectus & voluntatem propriam abdicat, multò fit aptior tum ad res divinas intelligendas, majorisque de cælo illustrationes, quas passiones appetitionesque nostræ vehementer impediunt, recipiendas; tum etiam ad Deum considerandum eumque cognoscendum:

dum: quem quò clariùs cognoscimus, hòc  
vehementiùs in ipsius amorem exardesci-  
mus; eáque propter fit, ut opera ab hoc  
amore profecta, plus dignitatis meritique  
nanciscantur.

Virtutes deinde, ejusmodi cum disposi-  
tione, multò faciliùs exercentur: cùm enim  
in earum usu atque exercitatione, ardua  
multa, molesta atque abjecta occurrere so-  
leant; quisquis DEV M sic velle secum ipse  
cogitat, nihil admodum turbatur, vi-  
amque perfectionis sine offensione de-  
currit.

Per hoc denique Exercitium vitam acqui-  
rimus: neque qualecumque vitam; sed vi-  
tam divinam, quâ, propter intimam illam  
cùm DEO unionem voluntatúmque con-  
fessionem, perfruimur. Vbi advertere u-  
numquemque peroptem ingens illud  
commodum, quod ex animæ unione &  
conjunctione corpus accipit; majus profe-  
ctò, quàm si Orbis universi imperium obti-  
neret & divitias quantascumque, absque eâ  
unione nihil omnino profuturas: unde èt vi-  
tam suam pluris faciunt homines, quàm o-  
mnes

## CAPUT VI.

63

mnes Regum omnium thesauros. Quare si illud animæ corporisque vinculum & conjunctio tam est utilis, immo necessaria; quid de ejusdem animæ cum DEO conjunctione vinculóque tantò nobiliori existimandum erit? Et si mortuo res nulla alia quidquam prodesse queat sine animâ; quid nobis profit habere animam sine DEO , qui animæ nostræ ipsissima est anima? quemadmodum enim nulla res utilis est sine vitâ ; ita vita nulla utilis est sine DEO.

## CAPUT VI.

*Divinæ voluntatis impletionem sum-  
mum esse hujus vitæ bonum; cælum  
quoddam , & anticipatam beatitu-  
dinem.*

**E**X his quæ dicta sunt, conficitur, uti divinæ voluntatis exsecutio, bonorum omnium collectio est; ita esse etiam supremum vitæ hujus bonum, anticipatam beatitudinem , Paradisum quemdam terrestrem, & admirabilem gloriam in hac valle lacry-

lacrymarum. Si enim conditiones attendamus, quas ad beatitudinem necessarias esse contendunt Philosophi<sup>a</sup>, Doctorésque Scholastici<sup>b</sup>; eas in perfectâ cum divinâ voluntate conſpiratione omnes reperiemus.

Secundūm quosdam, *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*<sup>c</sup>. atqui hanc in exercitio iſthoc habemus. Bonum enim omne triplici illâ bonorum classe, boni, videlicet, utilis, jucundi, & honesti continetur: quæ omnia divinæ voluntatis impletioni inesse, suprà ostendimus; ita ut nihil eadē vel nobis utilius, vel jucundius, vel honestius esse possit.

Aliis Beatitudo definitur, *cui nihil deficit*; hocque fit etiam in humanæ voluntatis ad divinam conformatiōne. Nam cùm rei alicujus defectus non proveniat inde, quod eā careamus; verūm ex nostro ipsius desiderio: quisquis sincerè integréque Dei implet voluntatem, aliud ille præter hanc nihil appetit; neque propendet in rem ullam, multoque minus immoderatè eamdem desiderat.

Alii

<sup>a</sup> Arist. l. I Ethic. Laſtant, lib. 3 divinar. institut. cap. 7 & 8.

<sup>b</sup> S. Thomas 1.2, q. 2 & seqq. ac Theologi ibi. <sup>c</sup> Boethius lib. 3 de consolat. Philos. proſa 2.

Alii Beatitudinem ajunt esse , *bonum quoddam indefectibile, & gaudium aeternum sine ullâ mutatione vel interruptione* : id quod non minùs quadrat in hominem divinæ voluntati devotum; cùm bonum ab ipso obtentum, quódque possidet gaudium, numquam possint deficere : utpote cuius eamdem caussam semper apud se habeat , hoc est, voluntatem DEI, ejúsque impletionem; quæ sibi, qualitercumque res cadant , latis tristibúsque temporibus, invariata semper constat, omnia à DEI manu proficiisci , libenter agnoscens. Atque uti Christus Dominus noster beatitudinem animæ inter acerbissimos etiam cruciatus numquam amisit: sic qui cum divinâ voluntate consentit, quantiscumque molestiis doloribusque affligatur, pace illâ læti animi numquam excidit , semper contentissimus. Quandoquidem enim divinæ voluntati suam arctissimè copulavit; dum cuncta à tam benevolo animo , & potente manu provenire agnoscit, omnes istæ molestiæ ipsi vertuntur in gaudium: eò quòd magis desideret améique voluntatem DEI quam propriam;

priam ; quo sit , ut ex rebus ceteroqui trifstitiam fortasse allaturis , lætitiam ipse haud vulgarem consolationemque reportet , nihil habens quod inquietare eum possit pacemque animi inturbare . Utque Sancto Abbatu Deicola cælestium deliciarum , quibus ejus animus redundabat , vis ingens risum ferè perpetuò commovebat ; quod diceret : *Christum à me tollere nemo potest*<sup>d</sup> : ita , qui cum divino beneplacito accurate consentit , pacatam meritò hilaremque vitam agat , verèque dicat : *DEVM à me tollere nemo potest* . Lætitia isthæc tam constans est & continua , ut hîc cœpta , in omnem æternitatem sit duratura : nec enim morte terminatur aut interrupitur ; sed progreditur ex hâc vitâ in alteram , ut ibi perennet in secula seculorum.

Quod si Beatitudo , uti aliis placet , est complementum omnium desideriorum ; quanta est felicitas illius , qui nihil vult aliud , nihil desiderat , quam quod Devs ?

Videt

<sup>d</sup> Roderic . p . I , tr . 8 , cap . 5 .

Videt hic talis expletam omnium desideriorum suorum expectationem: quidquid deinde etiamnum desiderat, quidquid desiderare potest, illud universum pro voto ipsius, modo quodam admirabili, semper impletur: quoniam suam voluntatem penitus abnegando, unamque & eamdem cum DEO voluntatem habendo, hanc ratione tantum proficit, ut semper faciat voluntatem suam: quae sine dubio causa est laetitiae planè singularis.

Postremò divinæ voluntatis adimpletio, est quædam DEI cum arctissimâ unione possessio; quia re nullâ aliâ duò fortius colligantur, quam mutuâ voluntatum consensione: quæ facit, ut dicantur *cor unum & anima una*<sup>e</sup>; atque ut alter in alterum velut transfusus transformatusque videatur. Sicut igitur Deus est *omne bonum*<sup>f</sup>; ita qui ejus Majestati tam firmo nexu adstringitur, eumque amoris titulo possidet, jure is omne bonum obtinere censeatur. quod si obtinet, manifestum est, nihil ei deesse. Si autem nihil deest,

tan-

<sup>e</sup> Actor. 4, v. 32. <sup>f</sup> Exodi 33, v. 19.

tantum certè bonum, quantum est secura  
tranquillitas, minimè omnium defuturum,  
credi debet. Usque eò, ut hanc invito aufer-  
re nemo queat; quia summâ felicitate fru-  
enti, quæ in hâc vitâ, absque ullo defectu,  
aut (propriam culpam excipio) amittendi  
periculo, possessione omnis boni obtineri  
potest.

## CAPUT VII.

*Etsi neque obligati essemus; neque tam  
honorificum, jucundum, & utile foret:  
necessitas ipsa ad DEI voluntatem  
exsequendam nos adigit & com-  
pellit.*

**S**i quem hactenus dicta nondum fortè  
permoverent, ad suam voluntatem pe-  
nitùs abjiciendam, desideriáque propria  
moderanda; is velim cogitet, nisi volens &  
sponte suâ ad divinam se voluntatem ac-  
commodeat, numquam tamen futurum, ut  
contra eamdem prævaleat eíque resistat.  
quantumcumque enim abhorreat aliquis  
nauseátque; morbos nihilò seciùs à DEO si-  
bi

bi immissoſ, dolorēſque quibus affligitur,  
& inopiam quā premitur, cogitur ſuſtinere.  
Quantò itaque conſultius fuerit, ultrò id li-  
berterque acceptare, quod velimus noli-  
mus, futurum certò eſt, & in rationem vir-  
tutēmque convertere neceſſitatēm, ac DE-  
VM amicūm nobis facere; idque non labore  
multo, ſed ſolūm non repugnando iis, quæ  
nullatenus valeamus impediſire? Iuſſerat o-  
lim Dominus, ut vafa omnia, & ornatus  
Altaris ac Tabernaculi, hyacinthino pal-  
lio, aut ianthinis pellibus in volverentur <sup>a</sup>;  
quò iſta portaturi aliud ſe nihil geſtare cre-  
derent, quām quod Dei velut colore in-  
ſignibūſque ornatūm, ad diuinū cultūm,  
absque ullo diſcrimine, pertineret: atque  
hoc uno abundē contenti illi, onus ſuum  
jucundē ferebant. Quòd ſi nos quoque  
moleſta hujus vitæ onera, quæ abjicere nul-  
lo modo poſſumus, cum voluptate ſuſtine-  
re optaimus; in aliud nihil animūm deſigere  
curioſeque inveſtigare, ſed iſtud ſolūm me-  
miniffe debemus: è cælo, à Dei illa manu  
proficiſci; ad ejusque beneplacitūm obſe-

qui-

<sup>a</sup> Numer. 4. v. 11 & ſeqq.

quiūmque pertinere ; atque ita proprii  
commodi oblectationisque rationem nul-  
lam habere.

Consideremus præterea, aliud in Infer-  
no & Purgatorio lignum non ardere, quām  
quod à propriā voluntate collectum est. &  
licet quis salvus fiat ; præcipuum tamen e-  
mendatorii illius ignis pabulum fore, quid-  
quid umquam ex propriā fecerit voluntate.  
adē ut jam non tantūm debitum sit , &  
honestum ; neque suave tantūm ac profi-  
cuum, propriam negligere voluntatem:ve-  
rūn necessitate etiam ad hoc adstricti, ali-  
ter facere non possimus. Sive enim bo-  
num respiciamus; inest in eo quidquid ad  
rem nos quamquam possit invitare , & inci-  
tamenta omnia, quibus ad Exercitium hoc  
perfectæ divini beneplaciti exsecutionis,  
cūmque eā omnimodæ conformatio-  
nistræ, amplectendum provocemur. Sive  
malum fugiamus ; vis nos eodem atque  
necessitas adigit. quoniam concurrunt in  
eo & conspirant non solūm rationes o-  
mnes boni, quæ nos allicit : verūm ex  
adverso collectæ quoque reperiuntur ra-  
tiones

tiones omnes mali ; culpæ, pœnæ, errores, metus, pericula, Purgatorium, ipse Infernus. quorum omnium cauſa est voluntas propria ; à quâ etiam in rebus licitis cavere nobis & metuere habemus ; cùm, quid nobis expediat , ignoremus. Expendendum hīc nobis est , quantum Lotho propria voluntas obfuerit, in electione regionis, quam incoleret, tametsi licitâ ipſi, & ab Abrahamo patruo, viro sanctissimo, permissa. qui tamen Abrahamus pro ſe ipſe eligere quidquam aut pōscere noluit : verūm existimans magnoperè id ſpectaturum ad quietem & pacem utriusque partis, ſi alter ab altero ſe jungentur; nihil in eā optione propriæ obſecutus voluntati, nepotem suum, quam maximè optaret, regionem juſſit diligere ; ſe pōrrò in aliam, etiam incommodiorem, libenter migraturum <sup>b</sup>. in quo ſe prodit singularis Abrahāni modētia, juſ ſuum alteri , etſi juniori , cedentis ; cùm contrā fieri , atque hunc illi , juniorem seniori , optionem deferre oportuiffet.

Ele-

<sup>b</sup> Genes. cap. 13. v. 8 & seqq.

Elegit itaque Lothus; sed delectus ille usūlque propriæ voluntatis magno ipsi stetit. Nam non multò pōst captivus abductus est<sup>c</sup>; & deinceps ex eo ipso loco, quem sibi delegerat, profugere compulsus<sup>d</sup>, post amissam conjugem<sup>e</sup>, multis magnisque incommodis est conflictatus.<sup>f</sup>

Ecquid tandem habet humana malitia, quod adversus ista omnia verè respondeat? Dicētne fortasse aliquis, nolle se exsequi, ad quod mille nominibus titulisque D̄eo est obligatus? hominis id sit barbari, & humanitatis omnis prorsus expertis. Dicētne, non desiderari à se honorem eum, qui ex divinæ voluntatis impletione colligitur? si facit, præbet enimverò pessimi, sordidissimi, & D̄evm despicientis animi certissimum argumentum. Illudne obtendet, nihil se moveri omni illâ suavitate & delatione, quam indè queat exspectare? ea verò desperatio & vesania tanta est, ut major esse nequeat. An istud potius, nullam se commodi sui rationem habere? atqui pro-

*diga-*  
*c Genes. 14, v. 12. d Gen. 19, v. 15. e ibid. v. 26. f ibid. a v.*  
*30 ad finem usque.*

digalitas & effusio nulla major, nullum detrimentum animo concipi gravius potest, quam Deo repugnare, idque tamquam optimum eligere, unde postea dolendum sit, & in purgatorias se flammas præcipitare malle, quam suo obsequi & placere Conditori. habetne impudens & ingratus animus, quò ulteriùs possit ascendere?

Postremum istud addo: Quemcumque illa, quæ hactenus attulimus, nondum permovent, is, vel si sileat, hoc re ipsâ dicit, aperteque profitetur ; neque boni neque mali intuitu, divino se velle beneplacito obsecundare: quâ blasphemiam & maledicentiâ, nulla alia est magis detestanda. Rogo itaque eum, qui hujusmodi est, per Christi pretiosum Sanguinem, ut, quæ in superioribus Capitibus legit, piè attentèque consideret, rationumque omnium momenta diligenter examinet. quibus si convictum se esse, negare audet; iterum rogo, ut eadem relegat. quod ipsum si neque dum sufficiat, tertium rogo, ut aliqua sibi ex iis puncta selligat, superque iis seriò meditetur ; & ex intimo corde lumen à Deo postulet,

Dec<sup>o</sup>m*in*it*u*s quod

CAPVT VIII,

*Quanti Christus faciat hominem di-  
vinæ voluntatis studiosum.*

**P** Ergo nunc authoritatibus gravissi-  
mis confirmare , quæ dixi ; ut omn  
ex parte , quanti ea sint momenti , appare  
at. Quamvis autem sacræ nobis litera  
Exercitium isthoc locis pluribus maximo  
perè commendent ; & à Davide positi  
dicatur *vita in voluntate DEI* , eumdém  
que *DEVM in voluntate suâ præstítisse decori*  
*suo virtutem*<sup>a</sup>: nemo tamen diligentius illud  
præcipit , quam vitæ sanctioris Magister  
Christiſ IESVS ; negans aliâ se cauſa  
descendisse de cælo , & à Patre missum  
quam ut faciat voluntatem ejus <sup>b</sup>. Tan  
ta est Exercitii hujus sublimitas & præ  
stantia ; ut dignum judicaverit ipse DEI  
Filius,

<sup>a</sup> *Ts.19,v.6 & 8.* <sup>b</sup> *Ioan.6,v.38.*

Filius, cuius gratiâ de cælo descenderet, in eoque se occuparet. Idem alibi fatur, *cibum suum esse, Patris facere voluntatem*<sup>c</sup>, hoc loquendi modo jucunditatem hujus Exercitii declarans, ejusdemeque valorem & necessitatem; non minorem, quam sit cibi ad vitam corporis sustentandam. Numquam tamen altius illud extulisse censendus est, quam ubi dixit, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in celis est; ipse meus Frater, & Soror, & Mater est*<sup>d</sup>. Rogo omnes, ut haec verba, & quis ea, quaque occasione dixerit, & quid iis significetur, diligenter expendant, eadēmque profundi in animo inscripta teneant; neque operæ & laboris, in suæ voluntatis abnegatione & divinæ adimpletione suscepiti, pretium præmiūmque majus ullum expectant, quam quod hoc loco à Christo concessum intelligunt. Qui enim verba illa proferebat, DEI erat Filius, Sapientia & Veritas Æterna, quæ fallere nequit; dicendōque minimè erravit,

D 2

aut

<sup>c</sup> *Iean. 4. v. 3.* <sup>d</sup> *Matt. 12. v. ult.*

aut à vero deflexit. sed nec accipi verba eadem debent, quasi cum amplificatione & exaggeratione aliquâ, verùm uti simpliciter veréque pronuntiata; credendūmque, Dei Filium re ipsâ pro fratre, forore & matre habere eum, qui faciat voluntatem Patris sui; hoc est, amare euindem fraterno & filiali amore: quod amoris vinculum aetius adstringit, quām sanguinis & parentelæ; adeoque pluris æstimari debet. nam & filius tandem desinit amare matrem; neque quoties frater eget, semper adjuvatur a fratre: verumtamen qui amat, fidelissimus est; neque committere potest, quin amicum afflictum & jacente sublevet, eique auxilio veniat.

Accedit, non dixisse Christum Dominum, se eum, qui faciat voluntatem Patris sui, tantum amaturum, sicut frater fratrem aut filius matrem amat; (quod tamen adipos Seraphinos, de tam admirabili benignitate & bonitate dulcissimi Salvatoris nostri obstupefaciendos, sufficiebat) verùm, se eum amaturum, uti fratrem, fororem, & matrem junctim; hoc est, tali amore affe-

affectuque, qualis ex tribus istis in unum conflaretur, non duplicato, scilicet, sed triplicato. Quanti non aestimaretur, secundum corpus, germanum Christi fratrem esse; & quam magni facimus Matrem, quae ipsum peperit? Iam verò Christus ipse, inter se, & eum, qui Patris sui facit voluntatem, omnem eam cognitionem & consanguinitatem simul intercedere profitetur: eumdémque à se amari, non uti fratrem dumtaxat sororem, & matrem; sed tamquam hæc omnia in illo uno conjuncta reperiret. Et sanè, quamquam hæc cum exaggeratione aliquâ, supra rei veritatem prolatâ, verba solummodo honoris, ut ajunt, & amoris essent: adhuc tamen luculentissimè appareret mirifica illa singularisque Christi benevolentia, quâ divinæ voluntatis studiosos complectitur; eaque nos sola meritò obstringeret, ad libenter faciendum, quod valdè ipsum velle, verba ista, suavissimi cuiusdam affectus amorisque plena, abundè manifestant.

Diligenter deinde considerandum est, non dixisse modò Christum, se eum, qui fa-

D 3 ciat

ciat voluntatem Patris , amaturum tamquam inferiorem aut æqualem; sed quemadmodum filius matrem amat. qui amor, quatenus filii , est inferioris erga superiorēm; adeoque h̄ic intervenire obedientiam: ut h̄ac ratione clariūs doceremur , quo ipse loco haberet facientem voluntatem Patris sui; nempe, se vicissim ejusdem voluntatem impleturum , eīque non aliter, quām liberi parentibus , obedientem futurum. Ingentis enimvero gratiæ & favoris illustre argumentum est ; ista vel solum dicere.

Advertendum postea, h̄ec verba pronuntiâsse illum Filium , qui Matrem suam teneriūs amet, quām quisquam aliis, quīque eamdem maximè honoraverit, eidem optimè voluerit, atque ab aliis omnibus honorari voluerit curaveritque: & nihilò leciūs disertè affirmâsse , Matrem suam esse , qui faciat voluntatem Patris sui.

Occasio porrò, per quam ita locutus est Christus Dominus , ampliūs etiam ejus singularem animi propensissimi benevolen-

volentiam patefacit & illustrat. Eo eterium  
id tempore factum , quo illum Mater  
alloqui cupiebat; ipse autem respondit,  
matrem suam discipulos suos esse , quate-  
nus divinam implerent voluntatem. id  
quod deinceps explanat , ipsam illam ,  
quam expendere cœpimus , sententiam  
adjiciendo ; quâ ostendit, eum , qui faciat  
voluntatem Patris sui , non æstimari à  
se tantum , velut matrem carnalem ; id-  
que ob solum istum Matris titulum : ve-  
rūm etiam magis amari. Estque hoc pror-  
sus indubitatum; tametsi orbe toto neque-  
fit , neque futura sit quam post Deum ve-  
hementius Christus amet, quam Matrem  
suam: hunc tamen tantum erga illam amo-  
rem non tam habere , quod ex Virgineo  
ejus utero nascens prodierit , quam  
quod perfectissimè ipsa Dei voluntatem  
exsecuta sit: quâ in re sine comparatione o-  
mnibus simul creaturis longissimè ante-  
cellit.

Verūm siquæ daretur creatura, quæ per-  
fectius divinam implèset voluntatem;  
hanc præ ipsâ suâ Matre Christus ama-  
turus

turus esset. atque ita Sanctissimæ Virginis excellentia major est ex hoc capite , quām quòd ex ejus benedicto corpore carnem suam acceperit DEI Filius. Qui id , de quo agimus, aliâ item vice declaravit ; quando extollens vocem quedam mulier de turbâ , dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; & ubera, que suxisti! nam, velut correcturus illam, subjecit: Quin immo beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud , id est, qui impletant illud, voluntatem DEI exsequendo. Orbis Dominus nihil eo dicto Sanctissimæ Matris suæ honori ac gloriæ detractum voluit; sed confirmare dumtaxat, præcipuum ejus decus dignitatēmque extitisse ex impletione voluntatis divinæ, quâ Seraphinos Beatissime pariter universos sola ipsa immensum superavit , plurisque fecit DEI quempiam explorere voluntatem , quām si è purissimis visceribus suis natus fuisset.

Potuitne, amabo , Christus majoribus Exercitium hoc efferre laudibus, quām istiusmodi verbis, tenerissimi amoris mysticorumque magnorum plenissimis? quibus supra

c. Lue. II, v. 27 & 28.

## CAPUT VIII.

81

Supra omne jus sanguinis, quo junctus est Matri, extollit eum, qui voluntatem impleat divinam; afferitque beatiorem illum esse & feliciorem, quam à quâ maxima accepit beneficia, qualia liberi à parentibus solent: quorum sanè est debitum incomparabile, & ob quod ipse Dominus gratissimum se præbiturus erat Matri suæ, quantumvis eâ sanctitate, quâ supra omnem sanctitatem creatam eminet, prædicta non fuisse. Ecquo alio modo magnificentius illud celebrari potuit, quam affirmando, fateri Christum, non minùs se devinctum ei, qui DEI faciat voluntatem; quam parentibus obligati sint liberi? quorum erga illos debitum infinitum dicitur; quoniam exsolvi numquam potest. O immensa demissio tantæ Majestatis, ita se, dum quod oportet facimus, obligari sinentis, ipsamque infinitis nominibus debitam exsolutionem, loco maximi beneficii reputantis! Quem non demereatur sibi ista humanissima & sincerissima caritas benignissimi IESV, ipsum illud quod, quia servi ejus per naturam, legesque & jura omnia sumus, tam carò, ejus

D S

divi-

d̄ivinissimi nempe Sanguinis pretio redemti, milléque aliis de cauſis, facere omnino tenebamur, illud, inquam, ipsum tantoperè approbantis; ut beneficiis etiam amantissimæ Matriſ ſuæ exæquet, & famulorum ſuorum meritissima obsequia perinde æſtimet, ac gratiam benevolentiāmque optimorum parentum.

Nescio tamen plūsne admirationis habeat, Christum Dominum in hâc viciā fratrem matrēmque habuisse eum, qui faceret voluntatem Patris ſui, ejus verba & jussa accuratè implendo; an verò quòd eumdem in cælis agnoscat Dominum. Quippe non minùs tenera ſenſuve ſublimia & auguſta ſunt verba, quæ apud Sanctum Lucam adhibet, de iis ſervis loquens, qui vigilant, ut ipſi placeant obſequantūrque in omnibus; diligenter, & perpetuò sanctissimam ejus voluntatem perficiendo. Beati, inquit, ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, (tantò paratior futurus ad ministerium) & faciet illos diſcumbere, & transiens minifra-

nistrabit illis f. Hoc loco exponit, quo pa-  
cto remuneraturus sit in cælesti gloriâ,  
quotquot in hâc vitâ fidos habuerit, &  
in voluntate suâ exsequendâ gnavos se-  
dulósque ministros. Non intelligo equi-  
dem, quâ aliâ ratione aptius explicare  
potuerit gaudium suum & voluptatem,  
quam capit ex iis, quos dixi, volunta-  
tis suæ studiosis hominibus: quando-  
quidem ad eam significandam afferit, i-  
psūmet DEVM, famulorum munia occu-  
paturum, ipsisque ministraturum. Ne-  
que enim de humanâ hæc, sed divinâ  
Christi naturâ potissimum accipienda, re-  
ctè monet edisseritque his ipsis verbis  
Sanctus Thomas: *DEVS Omnipotens sin-  
gulis Angelis Sanctisque animabus in tantum  
se subjicit, quasi sit servus emptitus singu-  
lorum; quilibet verò ipsorum sit DEVS suus.*  
*Ad hoc innuendum transiens ministrabit illis,*  
*dicens in psalmo 81; Ego dixi Dii estis. Summè*  
*quippe perfectus DEVS sibi complebit, quod hic*  
*docuit: Quantò major es, humilia te in omni-*

D 6

bus

¶ Lnc. 12, v.37.

bus; qui quamvis præsit omnibus dignitate & divinâ majestate, omnibus tamen subjicitur humilitate s. Ita Doct̄or Angelicus, planum faciens, quid Dei Filius iis, quæ protuli, verbis voluerit indicare: verissimaque sunt ista viri Sancti afferentis, Christum fideles sibi servos, qui ad solam attendant voluntatem divinam, habere non tantum uti Dominos suos, sed ut Deos. Servator ipse alio in loco Evangelii sui nos velut manu ducit ad suæ adversus tales benevolentia & caritatis infinitam istam dignationem rectius percipiendam; cùm apud Sanctum Ioannem, *Si quis diligit me, inquit, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*<sup>h</sup>. Quæ eodem sermone clementissimus Iesvs confirmat, quo jam antè dixerat, *in domo Patris sui mansiones multas esse*, Beatis in cælesti gloriâ præmii loco destinatas. quibus dum paullò post subjungit,

man-

<sup>g</sup> S. Thomas Opusc. 63, de Beatitudine, cap. 2, miki pag. 99.  
l. 1. si samen illius hoc Opus, h. Ioan. 14, v. 23. i. ibid.  
p. 2.

mansionem Patris & suam esse illum; qui sermonem suum servet, & faciat voluntatem; videtur ingeniosum aliquem amatorem & procum imitari voluisse, dicendo, hunc talem esse velut præmium & felicitatem suam; quodque Beatis cælum est, id per similitudinem quamdam ipsi Deo illum esse, qui voluntatem divinam exsequatur. Ac licet verbis istis metaphoram inesse, translatéque accipienda, negari non debeat; clare tamen ostendunt, tanti à Deo fieri, tamque gratum esse voluntati suæ obsecundantem hominem, ut mirificus ipsius erga illum affectus & favor oratione aliâ planiùs perfectiusque manifestari non potuerit: satisque constat, nostras de verbis suaviter adeò amantérque pronuntiatis, cogitationes ac sensa, rerum quæ iis subflunt, veritatem præstantiamque nullo pacto attingere. Tametsi enim Christum exaggeratione aliquâ usum esse appareat; eam tamen iis adhibuit rebus, quas intellectus noster perfetè numquam assequi, próque eo, ac merentur, æstimare potest. Non est dubium etiam, quin Deus multò majore cum gau-

dio in corde versetur hominis justi & suæ  
devoti voluntati, quàm futurus sit in augu-  
stissimo, quem animo conceipere quisquam  
valeat, throno ac solio, quantumcúmque  
magnitudinem & majestatem cæli empyrei  
millies eóque amplius excessuro.

## C A P V T I X.

*Secundùm Prudentiæ legem, et si DE-  
VS supernaturali providentiâ nos no-  
strâque non curaret; adhuc tamen ejus  
voluntatem exsequendam esse.*

**H**Vc-usque nobilissimum hoc Exerci-  
tium argumentis magnam partem  
spiritualibus & supernaturalibus suadere  
conatus sum; nunc verò concludam ipse me  
intra terminos rationum humanarum, cla-  
réque ostendam, non habere ingratos nos  
& divinæ voluntati refractarios mortales,  
quod verè respondeamus juréque obtenda-  
mus; dummodo vel unum istud pensite-  
mus, quàm etiam solâ rectâ prudentiæ  
lege, ad divinæ Majestatis voluntati & be-  
neplacito obsecundandum, severè obligemur.  
Ex

Ex dictis constat, cælestem hanc esse sapientiam, in omni Christianâ prudentiâ optimè fundatam; ejusque contrarium, luctuosa stultitiam insaniâmque censendam. Quem enim minus suo uti judicio arbitrioque deceat, quam eum, qui uno velut impetu, tot jura rationesque evertit, rem suam & bona tanta pessumdat, sibiique ipsi vitam adimit, cum infinitis, quibus Creatori suo adstrictus est, obligationibus satisfacere negligit; cum non vult exequi, quod sibi usque eò est honorificum; cum favum mellis dulcissimi gustare renuit; cum quæstum tam uberem tamque facile collendum aspernatur; cum sponte & libenter ferre recusat, quod velit nolit tolerandum est; cum istud gaudii IESV Servatori suo invidet; cum ejusdem, itinere inoffenso, vestigiis insistere detrectat; cum tot illustrium Sanctorum, immo Sanctorum omnium, qui éadem vestigia presserunt, comitatum horret & detestatur. Hoc verò insignem imprudentiam, dementiam, & vesaniam esse, luce meridianâ est clarius. Verum non loquendo iam de prudentia  
hâc

fux  
gu-  
iam  
que  
yrei  
  
DE-  
no-  
eius  
  
erci-  
tem  
dere  
e me  
cla-  
nos  
ales,  
nda-  
site-  
ntiae  
be-  
dige-  
Ex

hac diviniore, ob has rationes, caussasve alias graviores, nos obligante: sed ista omnia prætermittendo, fingendoque (id quod esse non potest) nos nullam in partem Deo obstrictos esse; non teneri etiam facere, quod ipsi placeat; neque delectari ipsum, cum suæ obsequimur voluntati; nec damnum ex neglegitu hic nostro ullum in alterâ vitâ timendum nobis esse: adhuc tamē jubet urgētque lex prudentiæ naturalis & sapientiæ humanæ, ut Dei beneplacito obsequiamur, iisque omnibus, quæ facit, exactè nos conformemus; vel ideo solùm, ut temporalem hanc vitam lati quietique transfigamus.

Ad hoc persuadendum, (quod mihi quidem testatissimum est) suppono tamquam certum, mala saepe multa magnorum esse caussas bonorum; bona contraria multa hujus vitæ, malis longè gravioribus aditum aperire: adeoque usuyenire, ut quod maximè aliquem oblectat, eidem certam deinde afferat perniciem; unde autem tristatur & dolet, indè præsentissimum accipiat omnibus suis malis atque miseriis remedium.

Quam

Quām multis opes congestæ thesaurūsve  
fortè repertus mortis caussam præbuit? &  
quot aliis morbus, in quem delapsi sunt, oc-  
casiones eripuit, in quibus sani, sine dubio  
fuerant perituri? usque eò, ut nemo unus  
sciat, utrūmne morbus quo tenetur, aut e-  
gestas in quā versatur, sibi obsint; neque, u-  
trum sanitas, quā fruitur, facultatēsque,  
quas possidet, sibi profint. Ignorat penitus,  
hincne an indē commodoruī aut incōm-  
modorum copiosam sibi messem debeat  
polliceri.

Hæc cùm ita se habeant; quis prudens  
satís intelligit, quî fiat, ut alterum nos præ  
altero tantoperè afficiat? ut illud rejiciamus,  
hoc desideremus? ut gaudemus de uno,  
tristemur de alio? cùm incerti simus, qualis  
tandem fortuna, prosperáne an adversa, &  
hæc & illa sit exceptura. Nescimus planè  
quid res ipsæ contineant, intráque se ha-  
beant; proptereaque indifferentes nos ad  
ea quæ fiunt, inque omnem eventum, sine  
metu & sine spe, in cunctis hujus vitæ re-  
bus promtos paratósque esse necessum est,  
atque hanc ipsissimam esse rationem, &

pru-

prudentiam naturalem, istiusmodi exemplo declaro.

Siquis conclave ingressus esset, ubi asserventur cistæ plures, quarum aliæ plenæ sunt auro, plumbo aliæ aut luto; sed ita parata omnes, ut exterius internosci nequeant fieretque eidem potestas eligendi ex omnibus quam maximè vellet: certum est hunc talem ad omnes indifferentem fore; cum discriminis caussam nullam habeat, penitusque ignoret, quid ei quam eligeret, clauderetur. optabit potius ut à quo intromissus est, is unam sibi aliquam nominet, non ut à se-ipso deligatur quoniam si fortè alter ille aberraret, ipsi tamen extra culpam sit futurus; præterquam quod existimare possit, ab altero præsertim si amicus sit, remque melius perspectam habeat, se minimè decipiendum. Hoc omnino modo ignoramus et ipsi, quid boni malive in rebus hujus vitæ reconditum lateat; ideoque ad omnes æquum affici debemus, gratoque & libenti animo admittere, quidquid nobis eveniat, Deusque immittat.

Simi

Similiter si quis mensæ accumberet,  
variis lancibus patinisque instructæ, qua-  
rum tamen pars media cibos contine-  
rent, veneno infectos, ceterà sapidos;  
altera autem cibos haberet, gratos ad-  
modum & salutares, sed quos ab aliis  
distinguere non posset: prudenterne ma-  
nus extendet ad lancem, quæ magis pa-  
lato suo arrideat? immo nimis quam te-  
merariè faciat. exspectet potius, dum is,  
qui mensam instruxit, vir bonus, manum  
admoveat; & prægustantem deinde se-  
quatur. Quod si ita est; quo modo pru-  
denter facere dicemus eum, qui divitias o-  
ptet potius quam paupertatem, sanitatem  
magis quam morbum? cum ignarus sit,  
an sub illâ mors, sub hoc verò vita deli-  
tescat. Et numquid præstat, quidquid acci-  
dit exspectare de manu Dei, et penitissimè  
pervidentis, quid sub unaquaque re late-  
at; et creaturas suas omnes intimè diligen-  
tis? Illud mihi quidem certum videtur, ac  
prorsùs ejusmodi, quod sola naturæ lux  
obscurum esse non patiatur. Quare hanc i-  
psam quoque rationem Gentiliun plurimi  
effi-

efficacissimam rati, eâdem usi, multis per-  
suaserunt tranquillo ut animo essent, suám-  
que voluntatem , quocumque rerum suc-  
cessu, ad divinam accommodarent; etiam si  
nec æternitas ulla foret, neque Deus id gra-  
tum acceptumque haberet.

Alios alia priore prudentior nobilior  
que ratio naturalis convicit; nimirum, ne-  
minem fatigari sollicitarive debere iis de re-  
bus, quæ ad se non pertineant, néve in suâ  
sint manu & libertate : quandoquidem  
nulli nisi de se-ipso , déque recto usu arbi-  
trii proprii , ratio reddenda incumbat.  
Quòd res hoc illóve modo cadant; quòd  
hic honore, iste injuriâ afficiatur; quòd a-  
lius robustus, infirmus sit aliis; quòd ma-  
lam ille gratiam ineat, alter in calamitatem  
incidat; hæc talia in nullius sunt potestate,  
nec ab ullius arbitrio proprio dependent;  
deinde eventa ista successusque ad nos non  
spectant; ideoque non magis de iis aut gau-  
dere, aut tristari nos cónvenit, quâm si alie-  
næ res essent. Verùm quæ sub tuo sunt ar-  
bitrio, ea te curare decet, in eaque cogita-  
tionem intendere; sunt autem hæc, bona  
dum

## CAPUT IX.

93

duintaxat, aut mala opera. Quare istud solum ad unumquemque pertinet, recte aut perperam agere. id hominis proprium est; debetque cavere, ne malè; studere, ut bene faciat: de cetero curas omnes ponere, indifferens esse, & qualitercumque cuncta eveniant, contentus vivere.

Addunt ad hæc, & persapienter, istam nonnulli caussam: è duobus malis minus eligendum esse; majusque malum futurum, perpetuo metu, inquietudine & anxietate excruciali, quam ipsis illis, quæ timeas, incommodis conflictari. eaque propter longè sapientius commodiisque facere existimant eum, qui ad omnes casus æquè paratum afferat pectus; quam qui anxi semper & sollicito sit animo. adjungunt et illud; curas istas omnes vanas esse: utpote cum neque morbum quo laboramus, neque paupertatem quam urgemur, neque odium aut invidiam quam alicubi collegimus, tristitia ulla levet aut depellat. atque ita, secundum caussas has omnes rationes que naturales, pacatos nos esse condecet, divinæque voluntati, quidquid demum

im-

immittat permittátve, usquequaque no  
stram conformare.

Naturalis hæc prudentia iis in rebus u  
sui est , quæ in nostrâ non sunt potesta  
te; sed necessariò eveniunt: nam in iis qua  
juris sunt nostri & arbitrii, quásque libere  
eligere possumus, aliæ supersunt rationes  
naturales, quæ persuadeant , eas secundum  
moralem prudentiam , & propter eam  
quam præstant in hâc vitâ commoditatem  
eligendas esse; atque ita eligendas, ut divina  
voluntati integrimè conformentur, idque  
non quomodocumque, sed juxta sublimita  
tem perfectionemque doctrinæ Evangelici  
cæ: cui;quia tota divina est, non admodum  
cum ratione & prudentiâ merè naturali  
convenire, appáret.

Si quis porrò roget, quæ sit voluntas Dei  
quam nos exsequi ipse desiderat? ei verè re  
sponderi potest; aliud non esse, quam imita  
tionem Iesu Christi, ejusdem paupertatem,  
nuditatem, contemptum mundi, & abstinen  
tiam voluptatum. hæ verò res illiusmodi  
sunt, adeoque ratione nituntur, ut, juxta so  
las prudentiæ regulas, in mortali hâc vita  
quam.

quamvis immortalis alia non supereſſet,  
complectendæ ſint, minimèque fugiendæ.  
**Hinc illi quoque ipſi Philosophi**, qui animæ  
immortalitatem, uti Stoici; aut DEVM, ut  
alii, eſſe negabant: Epicurei item, qui  
divinam erga homines providentiam tol-  
lebant, nihilò tamen ſeciūs, rationis,  
quâ donati erant, vim ductumque ſe-  
quentes, agnoscabant, docebant, qui-  
dám etiam re ipsâ & vitâ ſuâ comproba-  
bant; qui cum quiete vitam iſtam degere  
cupiat, ei paupertatem amplectendam,  
voluptates omnes aspernandas, mundum-  
que deferendum eſſe. Rationem hujus  
rei longè optimam afferebant, quod dice-  
rent: quisquis ſecus faceret, illum num-  
quam non metu, ſollicitudine, ærumnis &  
curis moleſtissimis abundaturum; multis-  
que aliis longè majoribus malis obnoxi-  
um victurum, quam bona mundi hujus  
mederi poſſint aut adimere. Dicitas ete-  
nim ingentia pericula, timores & curas co-  
mitari, ſive dum acquiruntur, ſive dum ex-  
penduntur, ſive dum custodiuntur. De-  
licias verò & voluptates, maximas  
effi-

efficere ægritudines ; multos deinde infatuare, eoque judicio & ratione , hoc est, præcipuo hominis bono, exuere, nihilo que minùs,quam opes, periclitari. Honores autem mundi , post se trahere longam molestiarum & curarum agmina, multamque odii & invidiæ materiam: usque èd , ut secundùm universas prudentiæ regulas, omnia illa sint contemnenda. Quæ dixerunt illi & senserunt admodum consentaneè præceptis & doctrinæ Servatoris nostri, voluntatique divinæ.

Adjungebant deinde èt istud: hanc optimam esse viræ beatæ regulam; nihil in mundo petere, modico contentum esse, aliis cedere. Non aliter faciendum ei , qui inter homines ætatem quietam traducere , nemini gravis , omnibus gratus esse excepta lege prudentiæ edocemur. Hoc modo censebant Philosophi isti; sapientis esse, multa contemnere, liberosque & sui juris affectus disciplinâ perdomare : quod absque continuo mortificationis exercitio fieri omnino nequit.

Permírum est quod hâc in parte fecit E-  
picu-

picurus. Luctabatur ille & strenuè pugnabat cum affectibus cupiditatibusque suis; ut eas sibi subjiceret: cùmque æger acutissimis corporis doloribus penè opprimetur; contrà obnixus nihil non egit, quòd cum morbo tandem sibi conveniret. Verum, quòd gratia ipsum & unctio sancti Spiritus destitueret; perquam id arduum expertus, modicè promovebat. Tandem tamen, cùm rei veritate convictus, diffiteri non posset, ex prudentiæ & rectæ rationis præscripto ita fieri oportere, si ad animi tranquillitatem, in quâ summam collocabat voluptatem & humanae vitæ felicitatem, seriò aspiraret; vim sibi afferre, contraque se ipse generosè fortiterque dimicare non dubitavit; eoque tandem proficit, ut in summis cruciatibus positus lætaretur, & beatissimum se esse affirmaret<sup>a</sup>. Ista si dixit fecitque Epicurus; quid non meritò exspectetur à nobis? nobis, inquam, tam clarâ fidei luce illustratis; divinâ gratiâ adjutis; morte Domini IESV obligatis; ætern-

E norum

<sup>a</sup> Vide horum aliquas apud Ciceronem Tusci Senec. epist. 66. 52. &c. alibi Laertius in Epicuro, Stobaeum serm. 17. &c. aliis.

99 VITÆ DIVINÆ

norum præmiorum spe invitatis; tantisque  
exemplis animatis. Agamus saltèm natu-  
ralis prudentiæ impulsu , ad quod milie-  
nominibus obligamur . Faciamus mini-  
mum , comitate & urbanitate ( ita loqu-  
placet ) invitante , quod jura nos omnia  
præstare compellunt. Demus operam , ut  
quos sibi tantoperè cruciatibus & morti-  
ficiâ Christus devinxit , eò pertingamus  
quò Barbari solâ prudentiâ humanâ do-  
cente pervenerunt.

Ex dictis admirabilem quamdam &  
prudentem vitæ Regulam elicere nos o-  
portet; quâ doceamur , uniuscujusque re-  
spectu hominis , duas esse rerum classes  
quarum alteræ in nullius sint potestate  
sunt autem alteræ. Prioris generis vocantur  
res fortuitæ; uti sunt, bona aliorum de-  
opinio, valetudo prospera aut adversa, vi-  
longæva, bellum, pestis, & istiusmodi alii.  
Posterioris generis ea censentur , quæ su-  
nostro sunt arbitrio; quales suæ singulorun  
actiones & opera. Regula porrò inde sum-  
ta , ista est: Solas eas res , quæ in nostri  
potestate sunt , hoc est, opera nostra, cu-  
randæ

## CAPVT IX.

59

randa & desideranda; providendūmque, ut bona sint, benēque fiant. si n aliter facias, de eo nobis dolendum, atque admittendum, ut errorem corrigamus, recteque ubique progrediamur; ea consecantes, quæ minoribus periculis curisque exposita, afferrant securitatem. De iis autem rebus, quæ in nostrâ potestate non sint, nihil nobis sollicitè laborandum, non dolendum, non lātandum: neque eas aut appetendas magnoperè, aut fugiendas; sed æqualiter ad illas omnes affici, eisque lātos libentésque acquiescere nos debere. tum, quia nullâ eas tristitiâ impediamus, cassoque labore nos-met-ipsos fatigemus: tum etiam, quia ad nos non spectent; cùm nostri arbitrii non sint, qui ignoremus, quid eas sit consecuturum; adeo que aërem verberatur videamur, aut dolendo de eo quod nobis profit, aut gaudendo de eo quod oblit.

E 2

CA-

## C A P V T X.

*De admirabilibus justisque DEI iudiciis, propter quæ conveniat ejus nos sanctissimæ voluntati conformari.*

**M**agi res ista momenti est; ideoque de hac voluntatis cum omnibus, ac divinâ potissimum voluntate, conformatio-  
nem agam uberiorius, revocaboque in me-  
moriā justa aliqua DEI judicia, admirabi-  
lēmque providentiam, quā, præter omnem  
spem & exspectationem, multos ē miseriis  
suis eruptos in felicissimum statum extulit.  
sit enim, ut, de quo dolent homines, quod-  
que sibi magno futurum timent detrimen-  
to, id etiam prodeesse experiantur; idque, si  
saperent, imprimis exercere debuissent;  
contrāque quotidie accidit, ut non-nemo  
studio omni & voluntate rem quampli  
consectetur, cāmque sibi mirè proficuum  
arbitretur, quæ ipsum funditus deinde per-  
dit, adque ipsos inferos præcipitat; aut,  
quod mille inferis pejus est, caussam pra-  
bet Numinis offendendi.

Hac

Hac ratione sanitas, honor, opes, quæque omnibus istis præfertur, vita, pluribus sexcentarum miseriarum summæque infelicitatis materiam dedere: è diverso autem invaletudo, infamia, paupertas, morsque ipsa, magnæ sæpe felicitati locum fecerunt. Id tam certum est, ut nec ipso, ut dixi, fugerit Gentiles.

Pompejo memorant ad summam felicitatem, summamque supra homines omnes celebritatem nihil defuisse, nisi quod decennio seriùs moreretur<sup>a</sup>: ita ut vita longior, quam in magni ipse sine dubio boni loco habuit, maximum ipsius fuerit infortunium, omniumque fons & caussa calamitatum. Alii contrà narrant, summæ felicitatis fuisse Alexandro Magno tam tempestivum obitum<sup>b</sup>: si enim ætate longius processisset, Magni nomen, ob ea, quæ in Occidente adversus ipsum moliebantur, amissurum fuisse. Visque adeò ad temporalium quoque bonorum incrementum facit, eorumdem jactura, nihilque ad extremum æquè peri-

E 3 culo

<sup>a</sup> Vide Plutarch. To. I, in Pompejo, mihi pag. 643. <sup>b</sup> Curt. lib. 10, cap. 9; & Raderus ibi.

culo omni vacat, tutumque ac securum est, quām quidquid constituit disponitque Benignus & Sapiens Deus. Verum certioribus istud exemplis illustremus. Quid Naamano, Principi militiae Regis Syriæ, obfuit tam fœdus aspectu morbus, à Deo ipso immissus, ad animæ corporisque salutem ampliorem? Parum tamen patienter illum tulisse, satè ipse prodit, Elisæi Prophetæ maximè salutari responso tantoperè commotus & irritatus. Dolebat, nempe, sentiebaturque graviter, tam miserè se leprâ cooperatum: verum si ingens bonum, quod ex eâ accepturus erat, præfigire potuisset; neque ipsi, neque Syriæ Regi ad illud compensandum, opum satis fuisset. inde enim accepit salutem animæ, cum veri Dei cognitione; atque unà corporis sanitatem tam perfectam, ut prorsus mutaretur in novum hominem: ita ut corpori animaque, præ eo morbo, exoptare melius nihil potuisset. Paralytico quoque illi in Evangelio, malum, quo tenebatur, incomparabile fuit Dei beneficium; ut pote, quod viam aperuit ad animi

mi corporisque sanitatem, longè, quàm umquam habuerat, integriorem. O expe- tenda infirmitas, tantæ cauſa felicitatis, ut ex ipſius Christi ore audire meruerit: *Con- fide fili, remittuntur tibi peccata tua!* tantum sanè bonum numquam omnes morbi, et iam duobus annorum millibus patienter tolerati, exæquent: præsertim cùm non ſola lam retulerit ille ſalutem animæ, verùm in- ſuper corporis valetudinem recuperaverit; eámque tam firmam, ut lecto ſuo, tam- quam ſi res leviflma foret, ſublato domum abierit. d

Facultatum prætereà, quas tanti homi- nes faciunt, jactura quàm multis insigni fuit emolumento? Rutham paupertas ſua, non modò præ ceteris ejusdem ſecum conditionis mulieribus ditavit; ſed effecit hoc ampliùs, ut inter Meflīæ proge- nitores jurè ipsa ac verè numeretur e. Eadem paupertas beavit Apostolos; quos opibus pollentes ad tantam Chri- ſtus dignitatem numquam proyexif-

E 4                    ſet.

d Matth. 9, Marei 12, Lucas 5. e Ruth. cap. 2 & 4;  
Matth. 1, v. 5.

¶ Et f. De Rege Manasse quid dicam? qui non exiguum aliquod bonum, sed totum regnum amisit; neque regnum modò, verùm, quæ regno potior est, libertatem: quémque capitales hostes, vincitum catenis arque compedibus, duxerunt in Babylonem. Sensit ille sanè graviter hanc tantam calamitatem. pendebat nihilominus hinc salus Manassis, æternū perituri, nisi sic periesser; ut ea captivitas omnibus mundi imperiis regnisque fuerit emenda: nimirum in quâ ipse, horrendum antea peccatorum multiplicium monstrum, Rex impius & execrabilis, nosse se cœpit, inque alium & sanctum mutatus est hominem. g

Honoris item & existimationis, quæ sanctissima hominibus cura est, amissio; salutis, aliorumque ingentium bonorum non uni caussa fuit, ipsiusque quin etiam, & majoris honoris. Ignominia illa, quâ notatus fuit sanctissimus Patriarcha Iosephus, cum, velut attentati adulterii reus, heróque infidus, in carcerem conjectus est, dolorem ipsi

f. Psal. 112. v. 7; Matth. 11. v. 25. 1. Cor. 1. v. 26 & seqq.  
g. 4. Reg. 21; 2. Paral. 33; Salian. a. m. 3350 & 3392.

## CAPUT X.

105

ipſi non mediocrem creare potuit: calu-  
mniae tamen illae & carcer, præcipue aditum  
illi patefecerunt ad summos istos honores,  
quando totius deinceps Ægypti cum am-  
plissimâ potestate Prorex, in ore oculisque  
fuit omnium, & gloriâ commoditatibus  
que aliis inde innumeris, supra votum ab-  
undavit <sup>b</sup>. Adeò frequenter morbum, de  
quo tantoperè dolemus; jacturam fortuna-  
rum, quam sic deflemus; libertatis amissio-  
nem, quâ ita movemur; laudis obtrectatio-  
nem, quæ tam graviter animum fauciāt, re-  
ferre Devs solet & ordinare ad majus bo-  
num: neque bonum qualecumque; sed e-  
iusdem planè generis, hoc est, ad sanitatem  
firmiorem, ad opes majores, ad fortunam  
secundiorem, ad honores ampliores, &, in  
quo sunt omnia, ad felicitatem sempiter-  
nam.

Illud è contrario non raro contingit; ut,  
unde insolescunt, seque aliis præferunt  
mortales, indè detrimenta eorumdem ma-  
xima, infelicitasque existat. Amanum favor  
& benevolentia Regis, immensa opes, ce-

E 5 tero-

<sup>b</sup> Genes. 39, & 41.

qui  
tum  
ve-  
em:  
ate-  
ylo-  
tam  
hinc  
i sic  
ndi  
rum  
rum  
&  
n &  
san-  
alu-  
non  
, &  
ota-  
hus;  
que  
rem  
ipli

terorūmque omnium cultus superbissimè efferebant : quæ si attentiùs ille considerasset , reperisset utique , nullam se iustiorem aliam flendi timendique caussam habere. quod non diù pòst eventus docuit ; quando rebus omnibus , honore , opibus , gratiâ , imperio , immo vitâ ipsâ spoliatus , suspensus est in patibulo quod paraverat Mardonchæo<sup>i</sup>. Quis hîc non admiretur judicia DEI ? Quis non totus tremat horreátque ad ea omnia , quæ propriam potissimum oblectant mulcēntque voluntatem ? De Salomone quid addam ? Summa gloria & divitiæ , quibus ad miraculum circumfluebat , in quantas non miseras ipsum præcipitem egerunt<sup>k</sup> ? In quām gravia itidem mala conjectit Regem Antiochum valetudo prospera ? quid ille scelerum flagitiorūmque sanus pratermisit ? quanto suo aliorūmque commodo vitam omnem lecto affixus jacuisset ?<sup>l</sup>

Quæ si ita esse manifestum est ; si vitæ hujus bona , quódque singulari studio homines

<sup>i</sup> Esther 3 c. 7. <sup>k</sup> 2 Paral. 9; 3 Reg. II; Ecclesiastæ 2.

<sup>l</sup> 1 Machab. I & 6; 2 Machab. 9.

mines expetunt, & quo impensè delectantur, eorumdem bonorum consecutionem præcipue solet impedire: si vice versâ, mala temporalia, quæ molestè adeo ferre & deploare consuevimus, in ipsis temporibus bonis adipiscendis mirificè nos adjuvent promoveantque; quid aliud hinc discamus, nisi omnimodam voluntatis nostræ indifferentiam? ita ut non magis hoc velimus quam illud: non unum præ alio, quantum ad nos attinet, refugiamus; sed DEO, qui novit, quid sit melius, cuncta permittamus, hoc unicum curantes, ut voluntati ejus obsecundantes, ipsum, pro beneplacito suo, nobiscum agere sinamus, sic ut neque bona hujus vitæ appetamus, neque mala fugiamus: cum hæc, in majora bona; ista, in maxima mala verti mutarique & possint, & soleant.

Ex hâc voluntatis indifferentiâ illud certè perpetuum commodum consequetur, ut magnâ animi pace & quiete, ab omni mœrore & tristibus sollicitudinibus liberi imperturbatique, perfruamur; tum vel

maximè, hâc cum divinâ voluntate confor-  
matione, plurimùm apud DEVM promere-  
mur. Res ex se ipsis pares sunt & æquales  
ad malum bonumve: quorum utrum no-  
bis allaturæ sint, de eo incerti sumus. quare  
in istâ tantâ rerum confusione & pertur-  
batione, quod certius habere possumus  
remedium, quàm ut ei fidamus, nōsque to-  
to stradamus, qui ipsas intimè penetrat &  
pernoscit, nobisque vult quàm optimè  
cùm sit Devs noster, Pater, Sponsus, Frater,  
Redemtor noster, & Omne Bonum no-  
strum. In Mundi hujus rebus aspiciendis,  
prudenter imitemur cæcum quempiam  
qui inter medias paludes deprehensus, &  
ignarus quo se modo indè expediāt, in-  
eásque incidere vehementer reformidans  
felicem se putabit, si quis ipsum oculatus  
manu suaviter prehensum edūcat &  
extrahat. Cæcutimus ad unum omnes, in-  
terque res ipsis, velut inter scopulos &  
præcipitia, versamur miseri. quòd si jam  
clementissimus Devs tritâ nos securaque  
viâ parer ducere; numquid meritò gaudea-  
mus? numquid maximam illi gratiam ha-

bea-

CAPVT XI.

309

beamus? numquid imprudenter aliò nos  
convertamus, aliudve moliamur?

CAPVT XI.

*Continuatio materiae de justis DEI  
judiciis; & periculi plenum esse, etiam  
in rebus minimis, divinam negligere  
voluntatem.*

**C**onsiderationis & timoris justorum  
DEI judiciorum, non unicus iste dum-  
taxat fructus esse debet, ut divinæ nos Ma-  
jestatis suæ beneplacito usquequaque con-  
formemus; verùm, ut in omnibus, etiam  
minimis actionibus nostris, sanctissimam  
ejus voluntatem perficiamus, ne digitum  
quidem, nisi ipsi placendi studio, moventes.  
Quâ in re juverit illud advertisse; Infi-  
nitam DEI Sapientiam multa magnaque  
cum temporalium æterna bona ita dispo-  
suisse, ut ea à nostrâ voluntatis suæ in re-  
bus minimis adimpletione voluerit depen-  
dere: id quod admirabile est, & arcanum  
divinæ providentiae mysterium. Quare

E 7

gran-

no VITÆ DIVINÆ

grandia multorum in hâc vitâ peccata impunita habet DEVS; Sanctorum verò hominum, & subinde etiā impiorum, parvulam aliquam noxiam severissimè castigat? Numquid videmus, quomodo idem præclara virtutum opera remunerari hîc negligat, levibus autem quorumdam actionibus, cum incredibilis benevolentiae significatione, præmia & mercedem tribuat longè ampliorem, quàm aliorum quantumvis illustribus facinoribus? adeò ut honestæ quædam actiones reperiantur, in quarum executione aut omissione, quantumcumque modicâ, justo DEVS inscrutabilique judicio se admirabilem ostendit; ex voluntate suâ perfectas luculentis præmiis, neglectas verò penas acrioribus rependendo. Quando igitur quæ, & quales hæ sint actiones, ignoramus; quàm maximè attentos sollicitosque esse nos cónvenit, ne in ullâ, quantumcumque parvâ in speciem, actione, ab ipsis sanctissimâ voluntate deflectamus: cùm incertum sit, an non ob illud ipsum, quod pro exiguo reputamus, gravissimè castigandi simus. Quis divinæ justitiæ, pro-

## CAPUT XI.

III

tam gravibus Davidis peccatis, pro tan-  
tâ injustitiâ, quantam habuit adulterium  
cum Bethsabee & cædes Vriæ, morte  
pueruli unius satisfactum esse diceret <sup>a</sup>? u-  
nam autem populi recensionem, cum nul-  
lius conjunctam injuriâ, quæque pro bono  
publico prudenter cœpta videatur, ab eo-  
dem institutam, septuaginta millium in-  
teritu, idque minimè severè & incle-  
menter, vindicandam <sup>b</sup>? In Aaronem et-  
iam Sacerdotem, propter tam enorme  
peccatum illius, populo Israëlitico permit-  
tentis, ut idolum sibi fabricaretur, eique al-  
tare erigeret; nō legitur vel levissimè anim-  
advertisse Devs <sup>c</sup>: verumtamen ubi non diù  
pòst, cum fratre suo Moysè, in aquâ è si-  
lice eliciendâ, non perfectè satís DEI vo-  
luntatem exsecuti aliquantum hæsitâ-  
runt; ob leve istud delictum, (tale eter-  
nim fuit <sup>d</sup>,) expetivit ab utroque Devs  
pœnas tam graves, ut ambos prohibuerit,  
quo nihil illi in hâc vitâ desiderabant vehe-  
mentius, ingressu in terram sanctam;  
eóque

<sup>a</sup> 2 Reg. 11 & 12. <sup>b</sup> 2 Reg. 24; & 1 Paral. 21. <sup>c</sup> Exodi 32.  
<sup>d</sup> S. Augustin. lib. 16 cont. Faust. c. 16, Tirinus & alii.

eoque supplicio non contentus , vitâ ipsâ exuerit. <sup>e</sup>

Multa quoque & graviter deliquerat Abbas Moyses ; neque tamen meritas de eo pœnas sumfit Devs: pòst tamen quām in disputatione quādam duriùs aliquāntò locutus est ; ob venialem illam culpam , à Dæmone correptus , & miserandum in modum afflictus fuit <sup>f</sup>. Est profectò illud à Bonitate divinâ infinitâque Sapientiâ optimè constitutum ; ut hâc ratione minimis & què atquè maximis in rebus voluntati suæ obsequeremur , cùm res parvas ad arbitrium ejus exequi negligentes , variis suppli ciis vindicari intelligeremus. Ad secretissima revera Dei judicia pertinet miserabilis iste Iosiae , Regis sanctissimi , interitus ; propterè quòd Regi barbaro , Dei nomine & liqua sibi indicanti , fidem non adjunxit <sup>g</sup>. Quis deinde existimasset Ozam , eò solùm , quòd arcam Testamenti periclitantem tenuisse , casumque prohibuisse ; mox divinitus percussum , factum istud subitâ morte

luitu-

<sup>e</sup> Númer. 20. <sup>f</sup> Caſian. Collat. 7. cap. 27; Vit. Patr. l. 4. c. 5.  
g 2 Paral. 35.

luiturum h? Narrant eadem sacræ literæ de duobus aliis, quos divinis imperiis modicè repugnantes, leones discerperunt i. Non minorem admirationem jurè nobis moveat id quod zelosissimo è Societate nostrâ Patri Christophoro Ortizio, viro Apostolico humillimòque contigit. Hic quod apud Præsides suos officium honoratus sibi delatum nimirum deprecaretur; fulmine à DEO percussus est. Noxa ea honorem detrectantis minima profectò fuit; immo placuit eidem DEO, Viri apud Superos gloriam mirandis operibus editis illustrare: quin & post mortem suam sæpius inter homines visus ipse auditusque est contionari, eosque, qui Christiana jam sacra susceperant, in verâ fide confirmare.

Abbas Paullus similiter, ob factum, quod laudem mereri videbatur, tali confessim correptione percussus est, ut ejus corpus universum paralyseos valetudine solveretur, nullumque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium<sup>k</sup>. Majorem tamen, quam ille, pœnam

<sup>h</sup> 2 Reg. 6. i; Reg. 13. & 20. <sup>k</sup> Casian. Coll. 7, cap. 26; Vit. Patr. L. 4, c. 52.

nam Lothi dependit uxor; quod muliebris  
curiositate victa, post se respexisset; *versa e-*  
*nim est in statuam salis: tametsi in re tam par-*  
*và DEI voluntatem non implendo, grave*  
*certè crimen incurrisse non videatur*<sup>1</sup>. *Ipsa*  
*Petri*, quod multò amplius obstupescas,  
Christum negantis lapsus, pœna fuit præ-  
sumptionis non magnæ<sup>m</sup>. Davidem modi-  
cus amoris sui, oculorumque curiositas<sup>n</sup>.  
Salomonem vana aliqua gloria, præcipites  
in peccata egerunt<sup>o</sup>. Neque dubito, quin  
sempiternum Saülis exitium abs re parvâ  
ortum duxerit; unde deinde progredien-  
tem ulteriùs, & in majoribus quoque DEI  
voluntatem magis quotidie magisque re-  
linquentem, DEVS tandem abjecit: eamque  
infelicissimi Regis reprobationem excepit  
postea mors miserabilis & execranda, tri-  
stis planèque tragicus familiæ status, ad  
condemnatio denique ejusdem æterna.<sup>p</sup>

E contrario autem virtutum non præci-  
puarum opera exigua, liberalissimâ merce  
de remuneratus est DEVS. Ita Abigail, ob-

<sup>1</sup> Genes. 19, v. 26: Cornel. & Bonfrerius ibi. m Matth. 26, v. 11  
& seqq. n 2 Reg. 11, v. 2. o Vide Salian. a. m. 3048. p 1 Rij  
13. & 31; 2 Reg. 4. & c. Salian. a. m. 2979.

verba molliora, & liberalitatem aduersus Davidem Regem exercitam, hujus demum uxor facta est<sup>q</sup>. Ita Rebecca, suâ erga Abrahâmi famulum humanitate meruit Isaaco desponderi, & inter ipsius Christi numerari progenitores<sup>r</sup>. Ita propter unicam eleemosynam, Sanctum Gregorium Ecclesiæ suæ præfecit DEVS, eundemque multis spiritualibus gratiis donisque locupletavit<sup>s</sup>. Ita idem DEVS Petrum Telonarium, quod unicum panem, quamquam indignabundus & propè invitus, in pauperem projecisset; tanto tamen favore dignatus, tantamque ei gratiam imperitus est, ut magnus Sanctus evaserit<sup>t</sup>. Usque adeò opus bonum, quod parvi aliquando æstimatur, caussa esse potest magni boni, ipsiusque salutis & sanctitatis; illius contraria defectus vel neglectus, fons & principium ingentis mali, mortisque temporalis & æternæ. Quid discimus inde aliud, quam elaborandum nobis, ut DEI voluntatem & bene-

<sup>q</sup> 1 Reg. 25, à v. 24. <sup>r</sup> Genes. 24, à v. 18; & Matth. 1. <sup>s</sup> Ioan. Diacon in Vita Gregorii, lib. 2, cap. 23. <sup>t</sup> Sur. To. 1, in Vita S. Ioannis Eleemosynaris, mihi pag. 579 & seqq.

beneplacitum, in rebus omnibus accuratissimè expleamus? Quantum, obsecro, amisisset Abigail, si illam erga Davidem humanitatem prætermisisset? amisisset profectò quidquid habebat; facultates omnes ministros, familiam, ipsamque adeò vitam jam verò eamdem exercendo, facultates ampliores, famulitium numerosius, vitam beatiorem, & maritum Regem potentissimum excellentissimumque, Davidem ipsum, consecuta est. Quantis etiam Salomon ac Saül miseriis se-ipsos exemissaent, si Dei ubique voluntati perfectè obsequi voluissent? Trepidare nos deceret, quoties aliquam cum virtute conjunctam actionem, aut divinum in re minimâ beneplacitum implere omittimus: cùm neque sciamus quantum ea habeat momenti; neque intelligamus, magnum esse posse, quod nobis parvum videtur.

Vtinam suis ista momentis ponderare mus; & ratio hæc quām efficax est ac validatam nos validè efficaciterque permoveret periclitatur etenim non leviter, quisquis divinæ se non accommodat voluntati: ac li-

cèt hanc aliquibus in rebus exsequatur ; si tamen id sincerè perfectèque non faciat , aliqua, quasi minora, negligendo , grave discrimen adit in ea, quæ ipsi interitum accelerent, incidendi; aut intermittendi, quæ felicem illum perfectumque erant redditura. Magna sunt & profunda DEI judicia , quæque meritò nobis perpetuò versentur ante oculos, sedulòque cogitentur, quoties boni operis, quantumcumque nostro judicio modici, perficiendi offertur commoditas. Ego sanè quomodo sciam, ecquid sub eo latet? fieri enim potest, ut magnum ex eo sequatur commodum aut incommodum, ut misera aut beata Æternitas. *Judicia DEI abyssus multa*<sup>u</sup>! Stultus sim , si ob res exiguae non exiguim me in discrimin objiciam.

Siquis ante abacum seu hyalothecam majoribus minorib[us]ve vitris refertam constitutus moneretur , inter illa unicum veneno plenum esse ; credimus eum vel ex ullo vitro bibiturum? Profectò non faciat; ne quidem spe certâ opulentissimi maxime regni propositâ. Hoc idem èt nos

aga-

<sup>u</sup> *Psalm. 35, v. 7.*

agamus ; ne ab implendâ divinâ voluntate  
ullâ in re aberremus : cùm non constet nobis,  
num sub omissione aliquâ & negligentiâ  
venenum lateat, mortem allaturum.  
cui vice versâ ad thesaurum & gazophylacium  
admisso, in quo magnæ, mediocres,  
parvæ cistæ plures visantur, diceretur ; eam  
unâ infiniti pretiigemmam contineri, qua  
si reperiret, habiturus ipse esset : numquid  
mnes hic talis arcas percurreret ? numqui  
stultè faceret, vel unicam, vel minimam  
prætereundo ? ita potius secum ratiocinatur  
& concluderet : quid si forte in hi  
ipsâ, pretiosissima, quam quæro, margarita  
recondatur ? nolim equidein tantilli fugitans  
laboris, ejus jacturam facere. Eodem  
profus modo in honestis Deoque  
placitis actionibus nos habeamus oportet  
dicamusque nobis ipso : Nihil omnino intermittam.  
Quid si in eâ re pignus repotum  
sit & arra salutis meæ ? quantumcum  
que illud parvum sit, faciam tamen ; immo  
quia parvum est, propterea minimè omnia  
negligam. fieri queat, ut aditus  
hoc mihi aperiat ad insignem sanctitatem.

adqu

CAPVT XII. 119

ádque copiosissimos divinæ gratiæ thesau-  
ros consequendos. Hac, scilicet, ratione,  
tam in parvis quām magnis rebus, justa DEI  
& secreta judicia nos obligant, ad ejus  
sanctissimam voluntatem ubique exse-  
quendam, & nullibi contemnendam aut  
deserendam.

CAPVT XII.

*Exemplis ostenditur, quanti referat  
divinam exsequi voluntatem.*

**V**fficiebant ista sanè, quæ adhuc dixi-  
mus, ad persuadendum omnibus, ut no-  
bilissimum hoc divinæ voluntatis, suā neg-  
lectā, assiduò perficiendæ Exercitium am-  
pletei vellent: verūm quia plures non tam  
ratio, dicentisve authoritas, quām factorum  
exempla permovere solent; hanc quoque  
viām ingrediar, aliquosque proponam quos  
imitemur.

Illustrissimum omnium hujus conforma-  
tionis exemplar ante oculos constitutū ha-  
bemus Magistrum & Redemptorē nostrum,  
Chri-

Christum IESVM. Huic uni sine periculo suam licebat exsequi voluntatem : quia nec sacerdotis pravisque affectibus ullis in transversum agebatur ; neque peccare poterat, aut imprudenter eligere. ille tamen nec minimū umquam uspiam discessit à voluntate Patris Æterni. Idem palam fassus est; non aliâ se causâ in imundum venisse , non alium cibum suum esse<sup>a</sup> : atque in summis necis suæ angustiis, quando propositâ sibi ante oculos ignominiosissimâ morte cruciatibusque acerbissimis, anxietate & tedium tantum non obrutus, cernebat animo populi sui tantam erga se crudelitatem, minore nos labore ac pretio redimi posse, & naturam ista sibi imminentia, invisa haec nus & inaudita, tormenta extremè horre & refugere; illo, inquam, tempore numquam tamen Patrem absolutè simpliciter que rogare voluit, ut, quod absque redemtionis nostræ dispendio fieri poterat, iisdem eximeretur: sed in illius se manus perfectissimè consignans, ejus fieri optavit voluntatem, petiitque non quod naturalis dictabat

*adorn. 6. v. 38; Et 4 v. 34.*

## CAPUT XII.

122

affectus ; sed quidquid amantissimo Patri probaretur. Mortem similiter oppetivit Christus Dominus, quod divinam exsequetur voluntatem , nec latum ab illâ unguem descendo; quamvis ad mundum redimendum mors ipsius nequaquam requireretur. quin et extremis in Cruce verbis, jam jam moritus , in ejusdem se Patris manus commendabat<sup>b</sup>: hoc pacto docens, nos in easdem DEI manus tradere, & nihil, nisi quod ipse vult, velle; etiamsi propterea vita amittenda, omniaque Orbis supplicia forent preferenda : quandoquidem Christus, solùm ut Patris satisfaceret voluntati, longè plura paratus fuerit sustinere. Hanc legem & paternæ voluntatis amorem singulariter prædictit David , quando in ejus personâ, In capite, inquit, libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : DEVS mens<sup>a</sup>, volui; & legem tuam in medio cordis mei<sup>c</sup>. De aliis Iustis idem dicit: Lex DEI & voluntas ejus, in corde ipsius<sup>d</sup>; sed de Iusto justorum, Christo Domino loquens, legem asserit esse in medio cordis, non simpliciter, in corde i-

F

psius,

<sup>b</sup> Lyc. 23, v. 46. c Psal. 39, v. 8. & 9. d Psal. 36, v. 37.

psius; utpote, quam præ omnibus amet pse æstimetque. Tota denique vita, omnesque benignissimi IESV labores ac do lores idcirco suscepit fuere, ut perficere perficique ab aliis curaret voluntatem Patris sui; cui est factus obediens usque a mortem, mortem autem Crucis: ut recordaremur opus redēptionis nostræ fuit subjectionem & conformatiōnem cui voluntate divinâ; adeoque hanc conformatiōnem pluris faceremus, & eam tantâ constantiâ imitaremur, tāmquam a liud omnino nihil facere possemus. Evangelistæ ubi Christum in horto orantes describunt; alius his eum verbis usū narrat: *Pater, si vis, transfer calicem istum in me*<sup>f</sup>; alius verò istis: *Pater mi, si possib est*<sup>g</sup>: ut pro eodem à nobis æstimari debere intelligeremus, Deo rem quamplam displicere, aut illam nos ex solâ nostre cupere voluntate; idque nobis factu impossibile judicare.

Secundum Christum, obedientiæ, vo  
lun

• Phil. 2, v. 8. f Luc. 22, v. 42. g Matth. 26, v. 39.

## CAPUT XII.

123

luntatisque humanæ cum divinâ consentientis absolutissimum ad imitandum exemplar habemus ejusdem sanctissimam Matrem, quæ propterea se nominabat *An-  
cillam Domini*<sup>b</sup>; & in quâ, post exercitum suæ in divinam voluntatem resignationis actum unicum, mox *Verbum caro factum est*, & habitavit in nobis<sup>i</sup>. Duo igitur excellentissima Dei opera, quæ Angelorum supremos obstupefaciunt, Incarnatio, scilicet, & Redemptio, solâ voluntatis cum Deo conformatio peracta sunt. quâ conformatio cùm nihil eidem Deo accidere possit gratius; Virgo Beatissima, in Angelorum jam apud Superos Reginam eveta, præcipuum decus & honorem suum esse censet, divinæ subjici voluntati; incredibilèmque capit animo voluptatem, re ipsâ voluntatem ibi suam ad divinam adjungendo. Testis sit, quidam ad Sancti Cuniberti Coloniæ Canonicus, post verò Cisterciensis Religiosus. Huic aliquando Reginæ hujus clarissima è nube lucidâ ad aures

F 2 vox

¶ Lyc. I, v. 38. i Ioan. I, v. 14.

yox ista accidit: Fiat voluntas tua, sicut in celo,  
 & in terra!<sup>k</sup> cuius postea suavissimæ vocis  
 recordatio quoties huic homini subibat a-  
 nimo, toties ferè lacrimis ille suis innata-  
 bat!<sup>l</sup> Et verò nefas sit ambigere, quin hac in  
 re ipsos Seraphinos, Dei amore maximè o-  
 mnium flagrantes, magis etiam exemplo  
 suo accendat Virgo gloriosissima.

Minùs itaque deinceps mirabimur su-  
 premam dignitatem ac titulum, à Davide  
 tributum beatissimis illis Mentibus; & cu-  
 jus gratiâ, ad divinæ eas Majestatis laudes  
 celebrandas, tamquam puriores, & ad id  
 quod sibi desit supplendum aptiores, invi-  
 rat, à divinæ voluntatis impletione sumtum  
 esse. sic enim canit: Benedicite Domino omnes  
 Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbū  
 illius, ad audiendam vocem sermonum ejus<sup>m</sup>  
 aut, juxta explicationem magis literalem,  
 ad obediendum voci sermonis ejus<sup>n</sup>. Benedic  
 Domino omnes Virtutes ejus, id est, omnis  
 multitudo militiæ cœlestis, Archangeli,  
 Principatus, Dominationes, Throni, Che-

<sup>25115</sup> rubim  
<sup>20</sup> k Matth.6, v. 10. l Cesarius lib.7, cap.8. m Psal.102, v.  
 20. n Vide Lorinum ibi.

rubim & Seraphim, ministri ejus, qui facit voluntatem ejus<sup>o</sup>. Nobilitatem nempe, excellentiamque cælestium illorum & beatorum spirituum, hinc potissimum Hebræus Rex colligit; quod exactissime, diligentissime, rectissimâque intentione D<sup>E</sup>I impletant voluntatem: non aliam ob causam, quam propter ipsum; utque obedient & sequantur illud, quod DEO adeò est acceptum, ut in beatâ quoque illâ patriâ hoc Obedientiae Exercitium ipsis proposuerit, atque ut eorumdem submissio, propriæque voluntatis abnegatio tanto appareret illius, illos non DEO tantum immediate, sed et aliis creaturis propter DEV<sup>M</sup> obedire voluerit, statuendo, ut Angelorum alii aliis, quemadmodum parentibus liberi, subjicerentur; id quod à S. Paullo, paternitatem in cælis esse asserente p, confirmari videtur. Cùm quid De<sup>S</sup> imperat, non id per se ipse facit Angelis omnibus; sed per Angelos alios: eatenus, ut quid facere debeant, qui inferioris sunt ordinis, ab iis intelligent, qui ad sublimiorem spectant hie-

F 3

rar-

<sup>o</sup> v.21. p Ephes. 3, v.15.

rarchiam. clarumque est & apertum, perfectius tum obedientiam resplendere, cum creaturæ propter DEVUM, quām cū Deo ipsi, nullius alius interpositu, obeditur; quodam etiam modo majus videri, creaturæ simul & Deo, quām soli Deo esse subjectum. Hanc itaque absolutissimam obsequendi rationem usurpant Angeli, tali cum reverentiâ propriæque voluntatis oblivione superiores se Angelos intuendo, tamquam DEVUM; eorumque sermones perinde audiendo, velut ab ipsiusmet Dei ore profectos. Neque aliter intelligendus est David, generatim de Angelis omnibus testatus; ipsos audire vocem sermonum ejus q. non enim indicare voluit, quod per se ipsi singuli illam audiant: verum quia eo, quo dixi, modo, debitâ cum reverentiâ, aliorum Angelorum jussa admittrant & exsequantur, quasi nullo intermedio, ab ipsomet illa Deo accepissent.

Hoc ipsum suis quoque Apostolis commendavit humilitatis Magister Christus Iesus, ut pro servis se gererent, non modò

DEI

q. *suprà.*

DEI respectu, verum etiam inter se ipsius:  
non tantum DEI voluntatem exsequen-  
do; sed suam præterea abnegando, po-  
tiusque alterius voluntati obsequendo, &  
illum respiciendo tamquam dominum,  
se vero velut servos; ut sic nullâ penitus  
in re proprio gustui voluntatique gratifica-  
rentur. Hinc etiam illius, cui primas ubi-  
que partes deferebat, quemque Eccle-  
siæ suæ caput eligebat, summam perfe-  
ctionem ostensurus, futurum ajebat,  
ut ab alio cingeretur & duceretur, quo i-  
pse non vellet<sup>r</sup>, hoc est, suam ipsius vo-  
luntatem non facturum. sed nec alium Ec-  
clesiæ Principem esse voluit, suoque re-  
gere & gubernare, quam eum, qui obe-  
diens (hoc enim Simonis, quod idem & Pe-  
tri est, nomen significat<sup>t</sup>) diceretur. Idem  
Deus quo tempore alteram Ecclesiæ colu-  
mnam erigebat & ad se convertebat; pri-  
mam illius vocem, testem esse voluit &  
indicem animi cum suâ voluntate con-  
sentientis, Sancto Paullo dicente:

F 4

Do-

<sup>r</sup> Ioan. 13, v. 14. <sup>f</sup> Ioan. 21, v. 18. <sup>t</sup> Genes. 29, v. 33; & Sal-  
mer. 10, 4, part. 2, tr. 13.

*Domine, quid me vis facere u? quæ nos verba  
in ore & animo perpetuò deceret versare  
Verùm eo non contentus Dominus ; u  
Paullus suam ampliàs subjiceret voluntate  
tem, remisit ipsum ad Ananiam , ut hunc  
haberet patrem & Magistrum spiritualem  
sicuti legis Doctorem habuerat Gamaliel  
em \*: omnino volens , ut alterius homini  
subderetur arbitrio , quò tanto minùs ob  
sequeretur proprio. Quâ in re ad solatium  
nostrum dicet advertere, non dixisse Domi  
num: ibi (ab Ananiâ) dicetur tibi , quid Ego  
te velim facere; sed , quid te oporteat facere  
partim proptereà, quòd Deus aliud non ve  
lit, quàm quod factu nobis necessarium &  
utile est: partim , q̄ia tametsi non loque  
rentur nobis homines manifestè , uti De  
vicarii, neque ut de ejus voluntate certi; a  
lienam tamen voluntatem, ejus etiam, qu  
noster Superior non sit, exsequi malle con  
veniat, quàm propriam; quæ postremum  
immo, ut rectius loquar, nullum apud no  
locum debet obtinere.*

*Sanctos, qui posterioribus seculis Apo  
stoli*

*u Act. 9, v. 6. x Act. 22, v. 3. y Act. 9, v. 7.*

CAPVT XII.

129

129

stolici spiritus exempla renovarunt, hac quoque re mirificè excelluisse deprehendimus. Sancta Theresia de IESV, admirabili & novo se voto obstrinxit, nihil faciendi, nisi quod undequaque divinæ congrueret voluntati; quin etiam promisit, se non grata modò, sed quæ DEO gratiora crederet, semper effecturam<sup>z</sup>, nullâ in re suæ obsequi cupiens voluntati. atque in historiâ Vitæ suæ, Videtur mihi, ait, honorem meum consistere in eo, quod Dominus noster laudetur; & reliqua omnia parvi pendo. Ipse enim conscientius est, quod nechonorem, nec vitam, nec gloriam, nec bonum aliquod corporis vel animæ volo, nec desidero, nisi DEI Omnipotentis gloriam aa.id quod ita faciebat ex animo, eaque detestatione voluntatis & gustus proprii ; ut cum aliquando cibum quemdam sumeret, suo iudicio aliquantò sapidiorem, eum repente, tamquam si fel gustasset, expuerit; rogataque, cur eo cibo bene condito non vesceretur? responderit; se oblationem, quam ex prædicti cibi sumtione percipiebat, non

F 5 fuisse

<sup>2</sup> Ia. à IESV Maria Vitæ l. 4, c. 7; R berat. l. 4 sc. 10.  
aa Acta Canoniz. ationis S. Thom. C. D.

*Acta Canonizationis S. Therese, Relat. 2, art. 53 & Riba  
vera ejus Vita lib. 4, cap. 26, pag. 424.*

fuisse aūsam , buccellam illam degluti-  
re. <sup>bb</sup> Simillimum priori votum concepit  
Venerabilis Virgo Domina Ludouica de  
Carvajal; illud semper in rebus omnibus  
exsequendi , quod perfectius , divinæ-  
que Majestatis oculis acceptius futurum  
crederet. Istud ipsum votum ferventissi-  
mus Pater Iacobus de Saura, vir Apostoli-  
cus è Societate nostrâ, suo, quem è cordis  
viciniâ eduxerat, sanguine signavit ; con-  
firmavítque , istud adjiciendo, facturum  
se non tantùm , quod perfectissimum sit,  
divinæque voluntati maximè conforme:  
sed facturum insuper , quantum posset,  
quidquid in quocumque majoris perfe-  
ctionis opere summum magisque eximi-  
um agnosceret.

Novi equidem aliam preterea religio-  
sam sanctamque Animam, quæ ex abnega-  
tione propriæ, & divinæ voluntatis imple-  
tione, tam ingentem percipiebat delecta-  
tionem; ut seriò optaret, quotiescumque  
vel oculos aperiret aut clauderet, vel digi-  
tum membrûmye aliud moveret, omnia illa  
&

<sup>bb</sup> Relatione eādem, art. 10.

## CAPVT XII.

131

& singula ex singulari DEI præcepto & imperio facere liceret. Societatis nostræ paréti Sancto Ignatio, non sufficiebat, quærere tantum in rebus omnibus, quod perfectissimum esset, & ad majorem DEI pertinerer gloriam; neque exsequi dumtaxat voluntatem sui Conditoris; sed quod divinæ ejus Majestati maximè ex omnibus probaretur<sup>cc</sup>. Non sufficiebat illi similiter, nullâ in re propriæ morem gerere voluntati; verum quærebat ubique illud, quod eidem maximè adversaretur: adeò ut diceret; duarum sibi rerum optione propositâ, quarum utraque æquè Deo grata, æquè in ejus gloriam redundaret, eam se certò electurum, quæ laboris plus molestiæque haberet; non modò ut DEI faceret voluntatem, sed ut nefaceret suam<sup>dd</sup>. atque ita, ut integriùs propriam subjugaret vinceretque voluntatem, plurāque toleraret, & majoribus appeteretur injuriis; pro stulto se quandoque gerere non dubitavit.

F 6

S.Par-

<sup>cc</sup> Biderm. Vitæ lib.2, cap.3, num. II. <sup>dd</sup> Ribaden. Visæ S. Ignatii l.5, cap.2; Histor. Societ. IESV, To. 1, lib. 16, num. 108; & ipse in Exam. c. 4, §. 44, atque alibi sape.

## VITÆ DIVINÆ

132

S. Pardulphus eidem divinæ voluntati tantoperè acquiescebat, ut cæcus factus, incredibili gaudio perfunderetur, eósque qui sui miseratione tangebantur, ipse solaretur, & cæcis omnibus ad se venientibus vi- sum restitueret; se verò ipsum curare, aut id beneficii à Deo poscere recusaret. quo ex- ercitio, omni voluntate propriâ abdicata divinam complectendi, ad sublimem ad- modum perfectionis ipse gradum conscen- dit. ee

Sanctæ deinde Gertrudi aspectabilem a- liquando se præbens ejus Sponsus, benignis- simus IESVS; Hac quidem manu, ajebat, sa- nitatem fero, istâ morbum: elige, filia, u- trum placet. Hic Virgo religiosissima, sin- gulari accensa pro Christo patiendi deside- rio, propriæque voluntati insensissima, pli- catis in crucem ad præcordia manibus, & in genua procumbens; Domine, inquit, ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respi- cias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias. ideo ego ad utrumque parata, neutrum e- ligo.

ee Vide Raderi Viridarium parte 3. cap. 3. quod est de cæci- Sandis.

ligo. Tuum est, mi Domine, dignoscere, utrum hoc an illud mihi relinquas. Quod responsum castissimo ejus Sponso ita placuit, ut diceret: *Qui vult ut ad ipsum liberè veniam, debet mihi clavem propriæ voluntatis resignare,* nec eam à me umquam repetere. His Gertrudis edocta, precatiunculam fecit conceptissimis his verbis: *Non mea; sed tua voluntas fiat, mi amantissime IE SV,* cāmque trecentis sexaginta vicibus perrexit repetere: quā in re dici vix potest quantum cælestium meruerit gratiarum. ff

Neque illud omittendum de Beato Francisco Borgiâ; cuius cùm arbitrio vitam & mortem Conjugis permitteret DEVS, ille facte sibi secundùm voluntatem suam eligendi libertati humillimè renuntians, *Dominе DEVS, inquit, unde hoc mihi, ut arbitra- tui committas meo, quod in tuā solius est potesta- te?* Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. *Quis enim rectius novit, quid è re meā sit, quām Tu, mi DEVS?* Tua itaque volun- tas fiat: nec de uxore solūm, sed de liberis etiam,

F 7

déque

ff Sancta ipsa lib. 4 Insinuationum divinæ pietatis cap. 23 & 31; & ex ea Blosius Monil. spirit. cap. 11, & Drexel. He- liotrop. l. 4, c. 1, & alii.

déque me-ipso statuas, rogo, quidquid Tibi placuerit: fiat Voluntas Tua! <sup>gg</sup>

Quantum porro, qui hoc Exercitium amplectuntur, merita sua augeant; luculentiter certè ostendit ea narratio, quæ extat apud Cæsarium, de Monacho illo Cistertiensi, qui multis magnisque clarebat miraculis; cùm tamen nihil in eo singulare & eximium præ Religiosis ceteris notaretur nam vestes ejus solummodo tactæ, valetudinem multis restituebant; & cùm sociorum aliquis ejus se cingulo cingeret, habitumve indueret, quamprimum sanabatur. Cœnobiarcha ubi advertit tantum illum apud DEVM posse, vitamque nihilo secius agere pro more ceterorum in Cœnobia; vehementer id admiratus, sevocatum hunc subditum suum his ipsis verbis compellavit: *Dic mihi, fili mi, quæ est caussa tantorum miraculorum?* Respondit ille, *Nescio Domine: non plus ceteris meis fratribus oro, non plus vigilo, non plus jejuno, non plus laboreo; sed unum scio, quod me non potest extollere prosperitas, neque frangere adversitas, sive de persona mea sit, sive aliorum.*

Cum

<sup>gg</sup> *Sebottus Vita lib. 1, cap. 12.*

## CAPVT XII.

135

Cùm porrò instaret Antistes rogando:  
 Quis tibi nuper sensus erat, an non unà nobiscum acerbè ferebas, cùm Nobilis iste villam nostram incendit? Non, ajebat Cœnobita; totum enim DEO commisi: si modicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Tum verò clarè agnovit Abbas, eam medendi facultatem ab amore DEI, admirabilique rerum humana- rum contemtu existere; cùm in rebus ille omnibus cum divinâ voluntate planissimè consentiret.<sup>hh</sup>

Ad institutionem quoque nostram, ac ut omnia purâ rectâque intentione faciamus, magnoperè faciet id quod duobus evenisse narrant Anachoretis, qui in eremo, magnâ concordiâ, nec minore profectu unà vivebant. Invidit illis Cacodæmon has vitæ sanctæ divitias; & seniori, Angeli habitum mentitus, se sttitit, DEI, scilicet, nomine jussus, ut ajebat, significare, commilitonem ejus æternis jam flammis destinatum: ideoque, quantumcumque bene

age-

<sup>hh</sup> Caesar. lib. io de mirar. cap. 6, & Drexel. Heliotrop. lib. 3, cap. 1, §. 2, more suo.

ageret, & laboribus asperitatib[us]que variis  
corpus divexaret, frustra ea esse omnia. Co-  
horruit ad hanc vocem senex , multisque  
deinde diebus nuntii istius recordatione  
gravissimè angebatur. Observavit hoc tan-  
dem socius; neque precibus importunis fa-  
tigare senem desit, dum ille, Ipse tu, respō-  
dit, hujus mæ tristitiae & mœroris cauſi  
es. significatum enim mihi à DEO est, te da-  
mnandum, omnib[us]que quæ agis, quæque  
páteris nihil proficere, & nequicquam pro  
cælo laborare. Tum verò Iuvenis, singulari  
alacritate; O mi Pater, ait, hoc te non tur-  
bet neque affligat : ad hoc temporis DEO  
servivi, non ut mercenarius pro cælo, sed ut  
filius ex debito; quia ipse suum bonum  
est, cui ego me totum debeo, quicquid de-  
num ille in me statuat. Erectus est hoc re-  
sponso in spem senex , multoque recreatus  
amplius, cùm non diù p[er]st ex vero Angelo  
didicit: impostoris ea fuisse Diaboli men-  
dacia ; Sodalem suum æternis præmiis à  
DEO destinatum esse; illiusque præclarum  
hoc facinus, generosam in dolem, sinceram  
que in divino obsequio mentem , & cum  
diyi.

divinâ voluntate egregiam confessionem,  
plurimum apud DEV<sup>M</sup> promeruisse, eique  
singularissimè placere.<sup>ii</sup>

De alio DEI famulo Gerson non dissimilia memorat. Huic corpori suo nihil indulgenti , multumque quotidie temporis in precibus collocanti invidit pariter tot bonorum operum fructum malus Dæmon. quare ut hominem turbaret, atque à virtutis viâ abduceret , molestissimâ de prædestinatione tentatione illum aggressus rogat; cur se inani labore usque è maceraret affligeretque? neque enim salutem umquam, aut cælum omni labore suo consecuturum. Atqui ego, respondit iste, scire te velim; non me servire DEO ob cælestem gloriam , verum propter ipsum purè; & quia dignus est, idco ejus me exsequi voluntatem. quibus vix dictis pudefactus dæmon dispergit.<sup>kk</sup>

Hoc loco reticere non possum admirabilem illam cum divinâ voluntate conformatiōnē insignis DEI servi, & viri religio-

<sup>ii</sup> Drexel. Amuss. l. 1. e. 7. §. 6. <sup>kk</sup> Roderic. p. 1. tr. 3. c. 13.  
Vide Gersonem de consolatione Theologiae lib. I. prosa 3.

giosissimi Gregorii Lopez; de quo literi  
præditur, edictum à DEO esse, ut loco ora-  
tionis & exercitii de præsentia DEI, hæc so-  
lùm verba repeteret : *Fiat voluntas tua, siam*  
*in cælo, & in terra! Amen.* IESVS. quam illa  
orationem lectionemque tanto studio a-  
moréque complexus est, ut triennium-  
psum, numquam fatigatus, numquam ob-  
litus (res sanè admiranda!) verba illa apud a-  
nimum suum pronuntiaverit, quoties vigil  
respirabat spiritumque ducebat: ut omnino  
necessum sit, quia parcissimi somni erat, in-  
numeris id vicibus præstítisse. Suscepérat il-  
le Exercitium istud tantâ suâ voluntatis ani-  
mique alacritate, ut sub anni exitum, respi-  
rationes jam non servirent amplius verbo-  
rum illorum refricandæ memoriæ; verum  
ad actus ipsos majori cum intensione & fer-  
vore eliciendos: quos tametsi ille non in-  
termitteret umquam; si quando tamen mi-  
nore cum devotione frequentaret, eo-  
dem mox temporis puncto gravissimis à  
Diabolo temptationibus impugnabatur. ad-  
eò quidem, ut dulcia ista verba illi essent  
pro libro, doctrinâ, Magistro, & ar-  
mis,

mis, quibus se adversus hostes suos defen-  
deret, eosque debellaret: & quia vim vir-  
tutemque hujus Exercitii planè singularem  
asscutus erat, experiendoque comproba-  
uerat; omnibus illud, quibuscum tractabat,  
vehementer solebat commendare.

## CAPUT XIII.

*Insignia exempla & sententiae Ethni-  
corum, docentium, quo nos modo divi-  
nam voluntatem implere, cùmque eâ  
nostram conformare debeamus.*

**E**xremo tandem loco exempla aliquot  
sententiásque proponam eorum ho-  
minum, qui et si divinâ fidei luce omnino  
caruerunt, neque paucis tenebris obscura-  
tum intellectum habuerunt; agnovere ta-  
men, nihil æquius esse, nihil rationi conue-  
nientius, nihil excellentius, nihil denique u-  
tilius, quām DEI exsequi voluntatem: ideó-  
que ruborem nobis meritò incutiant, eò us-  
que nondum progressis, quò ipsi, tametsi  
Christianæ disciplinæ legis ignari, ignari  
quoque tot obligationum, ob DEVM pro  
nobis

Cleanthes magnorum Philosophorum  
Magister, quamvis ethnicus, sic DEVM al-  
loquitur:

Duc me parens, celsique dominator poli,  
Quocumque libuit. nulla parendi mora est.  
Adsum impiger. Fac nolle. comitabor gemem.  
Malusque patiar, quod pati licuit bono. a

Hanc quoque Demetrii insignis Philo-  
sophi, pauperis cetera & egeni, vocem au-  
disse se meminit Seneca: *Hoc unum, inquit,*  
*Dii immortales, de vobis queri possum;* quod non  
*antè mihi voluntatem vestram notam fecisti.*  
*Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatis*  
*adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli.*  
*Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non*  
*enagnam rem promitto. citò totum relinquam.*  
*Vultis spiritum? Quid ni? nullam moram faci-  
am, quò minus recipiatis, quod dedistis. à volenti  
feretis, quicquid petieritis. Quid ergò est? malis-  
sem offerre, quam tradere. Quid opus fuit aufer-  
re? accipere potuistis. sed ne nunc quidem aufer-*

a Seneca epist. 107; Epictet. Enchrid. cap. 77, & Simplicius  
ab.

## CAPUT XIII.

141

tis: quia nihil eripitur, nisi retinenti. Nihil cogor,  
 nihil patior invitus: nec servio DEO, sed assentio.  
 eo quidem magis; quod scio, omnia certa & in a-  
 ternum dicta lege decurrere. b

Socrates in re longè magis arduâ, ipsâ  
 nempe morte, quam iniquissimam passus  
 est, ita suam cum divinâ conformabat vo-  
 luntatem, ut diceret: *Si Diis ita visum fuerit,*  
*ita fiat.* Me autem Anytus & Melitus (accusa-  
 tores mei) occidere sanè possunt; lädere verò non  
 possunt c. additque Simplicius d; videri sibi,  
 omnem humani animi perfectionem conversione  
 ad DEV M, ejusque conjunctione absolvi & con-  
 summari.

Epicetus, celebre inter Stoicos nomen,  
 generosè se DEO hunc in modum obtulit:  
*Tracta me posthac arbitratutuo: ejusdem tecum*  
*sum animi, sūsque déque fero: nihil recuso, quod*  
*tibi videbitur: quò voles ducito: veste me quâ vo-*  
*les induito. Vis me fungi magistratu? privatam a-*  
*gere vitam? manere? exulare? pauperie consti-*  
*ctari? opibus abundare? Ego te in his omnibus a-*  
*pud homines defendam.* e

Addo

b Senec. de provident. cap. 5. c Epicet. Enchir. cap. ult. è Cri-  
 zone Platonis. d in Epicetti loc. cit. e Arrian. l. 2, di Ser. cap.  
 16, proprijs finem.

Addo ex eodem Epicteto rem admirabilem, quam in se ipse experiebatur, adeoque docebat & publicè prædicabat: Ego vero, ajebat, numquam volens prohibitus sum, nec coetus nolens. Quo pacto istud fieri potest? Appetim meum obedientem præbui DEO. Vult ille me frabricare? volo et ipse. Vult me aliquâ re potiri? volo et ipse. Non vult? Nolo. Mori me vult? Migitur volo. Quis adhuc me prohibere potest contrameam sententiam, aut cogere? Nihilo magis quam Iovem. Sic faciunt etiam viatores cautores. Si aedierint iter latrocinii infestū esse, soli se viae committere non audent; sed comitatu vel Legati, vel Quæstoris, vel Proconsulis exspectato, & iis aggrediti tutò iter conficiunt. Sic etiam in mundo facit vir prudens. Multa latrocinia sunt, tyranni, tempestates, egestates, jacturæ carissimorum. Qui configrias? quomodo incolmis transseas? quis committatus tutum te reddet? cui te adjunges? Diviti illi, aut consulari? Quem inde fructum capiam. Ipse exuitur, plorat, luget. Quid vero si comes illius in me conversus, latro meus fiat? quid faciat. Amicus ero Cæsaris: cui dum familiaris fuero, nemo injuriam faciet. Primum, ut si iam illustris, quoniam mihi toleranda & perferenda erunt? quoties, &

à quam

à quam multis spoliabor? Deinde, si factus fuero,  
 èt ipse mortal is est. Si verò delatione aliquā im-  
 pulsus, idem inimicus mihi factus fuerit: quò rece-  
 dendum? In solitudinem? Age, illò febris non ve-  
 nit? Quid ergò profeceris? Non licet igitur inveni-  
 re comitem, per quem tutus sis, fidem, firmum,  
 insidiarum expertem? Immo vir prudens ita rem  
 considerat, hanc rationem secum init: si DEO se  
 dederit, se iter tuto conjecturum. Quid est istud,  
 Dedere sese DEO? ut quod ille voluerit, èt ipse ve-  
 lit: & quod ille noluerit, nec ipse velit. Qui ergò  
 istud fiet? Quomodo fieret aliter; nisi consideran-  
 dā DEI appetitione & administrationē<sup>f</sup>? Plato  
 quoque damnabat istos loquendi modos:  
 Det tibi Devs quod optas! Det tibi Devs  
 quod amas! Utinam Devs, inquietabat, id  
 tibi non daret; sed faceret, ut velles po-  
 tiū, quæ vult ipse! hic est enim purissi-  
 mus cultus & divina religio, si te hac ratio-  
 ne Deo jungas.<sup>g</sup>

Seneca intimos affectus suos Amico de-  
 tegens: In omnibus, ait, quæ adversa videntur &  
 dura, sic formatus sum. Non pareo DEO; sed af-  
 sentior.

<sup>f</sup> Idem lib. 3, cap. 26 & ult. post med. <sup>g</sup> Sensum dedi non  
 verba, hæc Lector substituat.

sentior: ex animo illum, non quia necessum est, sequor. Nihil umquam mihi incidet, quod tristitia excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem ad quæ gemimus, quæ expavescimus, tributa vitæ sunt <sup>h</sup>. Eidem, ad divinam voluntatem implendam, consultum videtur, ut in rebus omnibus, quæ arduæ nobis & molestæ videntur, judicium proprium corrigamus, sæpiusque intra nos ipsos illud repetamus: DEO aliter visum; DEVS melius <sup>i</sup>. Idem alibi optimum & utilissimum factu censet, casus adversos ferre jucundè; sicutque eos admittere, tamquam sponte & libenter expertos: adeoque hilariter & promptè petendos esse & acceptandos; quia à Dei voluntate profectos <sup>k</sup>. quæ est ipsissima Sancti Dorothei doctrina, diligentis; posse quem suam semper voluntatem implere, dummodo aliam nullam habeat, nisi Superioris sui & Del. <sup>l</sup>

Nec illud parùm valet ad pudorem nobis incutiendum, quod Imperator Antonius,

<sup>h</sup> Seneca epist. 96. <sup>i</sup> Idem epist. 98. <sup>k</sup> Annaeum ipsum & Dorotheum Lectoris iterum relinquo. <sup>l</sup> Vide Dorothie's doctrinam seu sermonem, lectus dignissimum.

nus, cognomento Philosophus, habeat vel  
ideo solum nos in rebus omnibus quae eve-  
niunt, quantumvis adversis, aequo esse ani-  
mo; quia pars simus Mundi & Naturæ, cui  
proinde conformari debeamus. unde ita  
Naturam ipsam alloquitur <sup>m</sup>: *Quod tibi con-  
gruit, o Natura, id omne et mihi congruit; neque  
quidquam citum mihi est aut tardum, quod tibi  
tempestivum & opportunum. in fructibus meis  
numero, quidquid ferunt tuæ tempestates. abs te,  
& in te sunt omnia; atque ad te redeunt omnia.*  
mox addit: *Vicus est & plaga mundi, qui à com-  
muni se Naturæ modo segregat, dum perfert invi-  
tus, quæ accidunt. magis tamen Christianè lo-  
quitur, cum ait: Quantæ sunt vires illius homi-  
nis, qui nihil agit, nisi quod DEO probandum est;  
nihil admittit, nisi quod offert DEVS!*

Hæc non eò à me disputata sunt, quasi  
DEI servos Philosophorum consiliis indi-  
gere existimem; verùm ut nos, qui post  
Christi doctrinam, exempla, & mortem, ea  
nondum opera præstamus, quæ cæci isti,  
naturalitate convicti, facienda pronun-  
tiârunt, omni studio eodem aspiremus.

G

CA-

an libro 3 Philosophia.

## C A P V T XIV.

*Praxis Exercitii de voluntate diu  
nâ adimplendâ.*

**L**ibenter equidem tam diù & copio  
differui, quantum obligemur, quām  
que jucundum & magni momenti sit, tū  
se divinæ tradere voluntati ; quandoquā  
dem perfectio omnis & cum Deo conju  
ctio in eo consistit: præterquam quod pe  
utile sit, honorificè nos sublimitérque ha  
de re sentire, tantò eam faciliùs affecuturo  
Quamquam vèrò Scriptores Ascetici o  
mnes varia passim trādant documenta, qui  
bus animam ad Exercitium hoc præparen  
aptámque faciant; ego tamen sic mihi per  
suadeo, si quis in ipsis initiis obligationes  
hanc pondus, ac momentum, quod in De  
solius, non autem propriâ voluntate perf  
ciendâ reperitur, rectè cepisset, accuratequ  
pervidisset; eum quamprimum Praxim  
psam aggressurum, atque ita medium effic  
cissimum habiturū fuisse, ad cetera omni  
exercitia virtutumque opera perfectè ob  
eun.

eunda. Certum est, eum, qui generosè constantérque secum ipse statuisset: in omnibus, & super omnia, quæsiturum se & aetrum, quidquid, & quo modo, vult Deus, neque ullam gustus & propensionis suæ rationem habiturum; certum, inquam, est, hunc talem verè mortificatum fore; quia id à se Deum exspectare perspiciat: futurum etiam humilem, patientem, devotum, moderatum, taciturnum, sobrium & castum; quoniam divina Majestas ita postulet, Sanctisque Paullus dicat: *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra*<sup>a</sup>; atque hac ratione magnum quæstuosissimumque temporis compendium facturum. Quapropter commendo hoc Exercitium universis; nominatim tamen, per Iesu Christi amorem, Religiosos rogo, & quotquot cupidi sunt perfectionis, ut, quemadmodum suas habent praxes modosque singulares in hac illâve virtute proficiendi, eumque in finem examen usurpant particulare; ita præcipuo quodam studio vim omnem inge-

nii sui exferant, ut magni divinam æstimem voluntatem, eāmque cognitam diligenter admodum soliciteque exsequantur.

Neque tamen sufficiet studium isthuc adhibere circa directionem de toto vitæ statu & occupationes generatim; sed veniendum præterea est ad actiones particulares & singulares, quantūcumque exiguae; & in uniuersitate earum considerandus Devs, fixaque & irretortis oculis perpetuò inspicie dum in sanctissimam ejus volūtatem: quam unicam actionum nostrarum omnium normaliter habere nos oportet; in quovis operi considerando, Deusne illud fieri velit an nolit? atque si Devum nolle intelligamus nullo modo faciendum, ne quidem milles Mundis mercedis loco propositis: si veritas sit quæ Deo placeat, uti virtutum sum opera, quam primum attendendum, quoniam eam modo fieri ipse cupiat. Exempli demonstro id quod dixi. Oraturi igitur cogitemus; qua reverentia, submissione, ardore, & attentione orationem peragi vel Deum; eaque illam peragamus. Item si quo particolare opus Superior imperaverit; con-

fide

sideremus, qualem in eo obedientiam, qua-  
lem simplicitatem, fervorem, diligentiam,  
alacritatem & constantiam à nobis idem  
Deus exposcat. atque ita in aliis actionibus  
omnibus, sedulò advertamus primum ea-  
rum substantiam, & num sint ad volunta-  
tem divinam ; tum deinde circumstantias  
expendamus, quas, dum illas perficimus,  
Deus nos vult adhibere. Quod si opera sint  
ex se indifferentia, aut necessariò facienda;  
curandum est, ut bonâ illa intentione coro-  
nemus, Deique amore peragamus: hac ete-  
nim ratione actiones nullius ex natura sua  
valoris, in sublimem meritorum gradum  
evehuntur. Omnibus sanè modis cavere  
nos decet, ne ingens illud commodum neg-  
ligamus, quod opera nostra Deo offeren-  
do, juxtaque sanctissimum ejus beneplaci-  
tum dirigendo, consequi possimus: sicut e-  
nim actiones naturales, redduntur super-  
naturales; bonæ verò, sed virtutum minus  
excellentium, mutantur in actus caritatis,  
dum quis, nempe, paratus est divinum ubi-  
que implere beneplacitum, nullibi autem  
propriæ obsequi voluntati; idque tam in o-

## 150 VITÆ DIVINÆ

peribus externis quam internis , tam  
in magnis quam parvis , adeoque in  
minimâ cogitatione , & cordis motio-  
ne ; universa ordinando , & examinan-  
do ad certissimam libellam , & unicam  
veræ sapientiæ regulam , quæ est Vo-  
luntas D E I ; sempérque faciendo id  
quod regius Propheta dicit : *sicut oculi  
ancillæ in manibus dominæ suæ ; ita oculi no-  
strí ad Dominum D E V M nostrum<sup>b</sup>*. Si va-  
mille haberemus intellectus , si mille o-  
culos ; eos omnes in hoc uno occupari  
oporteret . ita faciebant Sancti ; ita fa-  
ciunt Angeli : ideoque Apocalypticæ il-  
la *quatuor animalia* , & sublimes Cheru-  
bini , ante & retro , in circuitu & intu-  
pleni sunt oculis<sup>c</sup>. Sic nos quoque mille  
obtutibus , velut totidem intentionibus  
totiesque multiplicatis studiis , beneplaci-  
tum divinum intueri debemus ; semper  
videre desiderando , & intelligere , quid vel  
Devs ; illudque Sancti Paulli sæpius inge-  
nādo : *Dominè , quid me vis facere<sup>d</sup> ? In hoc po-*

<sup>b</sup> Psalm. 112, v. 2. <sup>c</sup> Apoc. 4, v. 6 & 8; & Ezech. 1, v.  
9, v. 6.

tissimum cura industriaque nostra versetur;  
ad hoc referatur examen particulare; in eo  
principuē devotio nostra occupetur.hic po-  
tentiae & vires animae nostrae fatigentur;  
pensum illud sit & quotidianus labor totius  
vitae nostrae.Hinc languorem procul omnē  
abesse cōvenit; immo hoc ipso temporis  
puncto, quo ista audimus vel legimus, ma-  
gno cum fervore, Deique amore inchoan-  
dum est, quod per longissimam Āeternitatē  
sumus continuatur, idque faciendum in  
terris, quod Beati faciunt in cælis; illud i-  
psum, scilicet, quod in Dominicā oratione  
quotidie petimus: exemplo Sanctæ Ger-  
trudis; in cuius & ore & corde, ista Evan-  
gelica verba<sup>e</sup> perpetuò versabantur: *Non*  
*mea; sed tua voluntas fiat, amantissime IESV!*<sup>f</sup>  
quāl devotionem à Christo doctam eam  
volunt; monitāmque insuper, sua sibi opera  
omnia minutatim consecraret; nec tantūm  
lectionem omnē, aut scriptiōnem, sed voces  
singulas quas lectura, characteres quos scri-  
ptura esset: neque cibum solūm aut potum,  
quem sumtura; sed bolos quos comestura,

G 4

ver-

<sup>e</sup> Lyc. 22, v. 24. <sup>f</sup> Blof. Monit. Spiriti. c. 11.

verba omnia quæ locutura, gressus omnes  
quos positura, anhelitus omnes quos vigi-  
lans dormiensque ductura esset, speciali af-  
fectu offerret; ut hâc ratione semper atté-  
ta & sollicita, nihil nisi divinam exsequere-  
tur voluntatem.

Hoc Exercitium excellentissimum com-  
plectitur, & utilissimum, facillimumque  
modum semper ambulandi in conspectu  
& præsentia Dei, qui neque intellectum,  
neque imaginationem ullâ ratione defati-  
get; sed corporiùs purissimis amoris acti-  
bus jucundè suavitèque reficiat: quoniam  
qui se illi dedit, is Creatorem suum non di-  
ligit modò caritate mirè unitiva; verum  
cum dilectione Dei continuò operatus  
quod in amore omnium est supremum:  
quando nimirum solo ille affectu non con-  
tentus, ipsis se prodit effectibus; neque hoc  
qualitercumque, sed continuo usu mortifi-  
cationis; quæ sinceri amoris lapis est Lydi-  
us, certissimumque argumentum. quisque enim

g Ita Drexel. Amuss. lib. 1, c. 5, §. 5, qui citat Blosum in  
spirit. c. 9, mihi pag. 318. Vide illum ibi, & in Specie  
spiritualis c. 5, §. 3.

## CAPUT XIV.

153

enim ejusmodi est; suam ille perpetuo abdicando voluntatem, fidem adstruet illis Christi verbis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*<sup>b</sup>. Præter vero usum mortificationis, perenne habebit exercitium perfectæ resignationis, annihilationis, unionis & transformationis; aptusque erit ad omnia, positus in manu & arbitrio Dei, suam voluntatem penitissime exuens, quotidieque arctius suo se jungens Conditori, cum proprium judicium arbitriumque semper contemnat, ut ex divino cuncta exequatur. Indidem consequetur deinde insignem cordis puritatem; quoniam nullo sinistro affectu corruptus, ad aliud nihil attendet, quam beneplacitum divinum; hacque ratione molesta cordis inquietudo & inordinatio omnis quamprimum cessabit. Hæc denique cum divina voluntate conformatio, summa est & clausula perfectionis, virtutumque cunctarum; via est compendiosissima, communissima, securissima, magisque quam reliquæ simul omnes meritoria; norma est universalis, ad quam

G 5

cete-

<sup>b</sup> Matth. 16, v. 24; Lyc. 9, v. 23.

ceteræ examinentur, & breve compendium disciplinæ vitæque spiritualis, unicâ velut, præceptione ac regulâ omnem suam doctrinam comprehendens.

Illud ad extremum advertendum est, plurimum referre, ut orationes jaculatoriæ, per diem, ex Sanctorum consilio, frequentandæ, tales sint, quales Christus Dominus noster, uti superiùs dicebamus, Sanctæ Gertrudi aliisque Sanctis, & generatim toti Ecclesiæ commendavit in ea, quam nos docuit, oratione, quāmque ipsem Salvatori terare solebat; uti videre est in horro, ubi repetitis vicibus ad Patrem dicebat: *Pater mihi fiat voluntas tua*<sup>i</sup>. *Non quod ego volo, sed quod tu*<sup>k</sup>. *Pater, si vis*<sup>l</sup>!. Hujus exemplo par est nos quoque assiduè cogitare ista, & dicere: *Pater noster, fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra*<sup>m</sup>!. Quæ verba ut tantò majori cum utilitate pronuntientur, proferri ea debent non solum per modum laudis & benedictionis DEI, tenerrimique affectus conformatioonis cum ejus Majestate; verum

<sup>i</sup> Matth. 26, v. 42. <sup>k</sup> Marc. 14, v. 36. <sup>l</sup> Luc. 22, v. 42.

<sup>m</sup> Matth. 6, v. 10.

verūm etiam per modum deprecationis & petitionis , ex zelo gloriae divinæ & proximi caritate provenientis : humillimè D E O supplicando , ut homines omnes sanctissimam ejus voluntatem exsequantur ; quo uno fratribus nostris melius nihil exorare à D E O possumus. Brevi ista precatione concluduntur amor D E I & proximi : adeò ut per eam anima uniatur & conformetur cum D E O , eum laudet , benedicat , magnificet , simùlque proximo gratificetur ; orando indesinenter pro fratribus , pro tota Ecclesia , pro toto mundo , & pro unoquoque singulatim próqué omnibus generatim , ea petendo quæ ipsis utilissima , quibus magis indigent , quæque majoris sunt momenti : quod est opus amplissimâ à D E O mercede remunerandum.

## CAPUT XV.

*In rebus omnibus, nullâ exceptâ,  
DEI sequendam esse voluntatem.*

**T**urpe igitur fuerit, si rem tanti momenti aut languide nos, aut per partes tantum aggrediamur; nec integrè DEVM sequendo, partim nostram, partim illius voluntatem faciamus; dimidium Deo demus, alterum dimidium nobis ipsis reservemus. Traditionem perfectam esse oportet; cum dominium absolutum, præsertim DEI, duos Dominos minimè admittat. Fallitur insigniter, quicumque totum, re nulla sibi renta, Deo sedare reformidat; eò quod existimet, nimis quam horibile, triste, & arduum esse decretum illud, numquam, & nuspian, suæ obsequendi voluntati. Non est omnino, cur istud metuamus: est vero, quod plurimum nos ipsos suspectos habemus, & vel in minimo nobis commodis que nostris servire horreamus.

Primo quidem; quia affectus aliquis, quantumvis modicus, perdere nos potest;

ce-

cepitque per illum jam Diabolus pignus cordis nostri, quod vel unico minùs ordinato desiderio captivum tenet: nam minima etiam & unica non mortificata affectio, virium satis habet ad omne animæ robur labefaciendum, ad eum planè modum, quo de Leone, fortissimo bestiarum, dicit Sanctus Ephraim; eum, si vel capillo uno jubæ suæ terram contingat, movere se non posse, virésque omnes & vigorem amittere<sup>a</sup>: atque uti *Aquila*, (verba sunt Sancti Dorothei) quæ reliquo corpore à laqueo omnino libera est, unicâ autem ungulâ detenta fuerit; omnem vim suam, ex eâ modicâ particulâ, quâ præpeditur, amittit<sup>b</sup>; & captiva attinetur. Quamquam revera parvum non est, parvum aliquid non relinquere; quia non tam res, quæ parva apparet, in qua nos ipsos non vincimus, est attendenda; quamquid voluntatem nostram, in re tantilla, DEI amore, frangere recusemus: quod magnum aliquid est; tantoque major à nobis ingratitudo aestimari debet, quanto res ipsa videtur minor.

G 7

Se-

<sup>a</sup> Vide Iulium Nigrorum Tractatu ascetico de cura minorum, part. 3, cap. 2, num. 49. <sup>b</sup> S. Doroth. sermone 11.

Secundò; quia frustra quis speret, in corum se privilegiorum & commodorum partem venturum, quibus fruuntur, qui DEI implet voluntatem, nisi eamdem ipse quoque impleat in rebus omnibus; quod, nisi suam ubique abneget, facturus est numquam. usque adeò, ut luculentus sit error & insanìa, ob eum solùm metum, ne quis in anxietate & mœrore vitam agat, omnimodam hanc integrámque sui ipsius in manus DEI oblationem intermittere. Quod quamdiu fiet, carendum semper erit favoribus cælestibus, & dulcedine illâ inexplicabili, quam Devs suæ voluntatis studiosis hominibus solet impertiri: quæ est communicatio quædam ejus gaudii, quo Æterna illa Majestas, suæ voluntatis adimplitione, vivit beatissima. Nam non exequitur totam voluntatem DEI, qui non exsequitur eam in omnibus, semet-ipsum in iis abnegando: cùm DEI voluntas sit, ut nullibi secundùm nostrum, sed ubique secundùm ipsius nos beneplacitum gubernemus; quoniam unicum hoc dumtaxat nobis conveniens est: eatenus, ut quisquis in eo defi-

deficit, & divinæ non obsequitur voluntati; neque jus ullum obtineat, ad ejus singulares gratias participandas; nec ullum habeat titulum, ad quietem illam obtainendam, & suavissimam voluptatem, quam perfectè mortificati, hoc est, sibi ipsis mortui, prorsus incredibilem persentiscunt. Eam ob caussam dicere solebat vir ille divinus, Pater Balthassar Alvarez: *Quemadmodum Martyres, ut canit Ecclesia,*

*Mortis sacræ compendio,*

*Vitam beatam possident<sup>c:</sup>*

*ita justi bene mortificati, brevi quâdam aliâ propria abnegationis morte, consequuntur quietem illam, quæ in hâc exilii regione potest obtineri. Sed quoniam non statim & uno tractu, seriam nostram abnegationem amplectimur, sit ut semper gementes Crucem feramus, nec moriamur in eâ; quod est proprium hypocitarum.<sup>d</sup>*

Exercitium deinde istud perfectæ mortificationis, & cum divinâ voluntate conformitatis, non consistit in rebus,

<sup>c</sup> de Commn. Martyr. hymn. ad Marutin. <sup>d</sup> Lud. de Pon-  
ce Vit. Balth Alv. cap. 4, ante §. 1.

rebus, quas in partes secare & dividere possumus; sed unum illud, vendicat sibi totum & omnia. atque uti falsum est, mortuum esse quempiam, nisi in eo cessent actiones omnes vitales; ( si enim vel unica supersit, mortuus dici nullo modo potest) ita prorsus, cùm quis rem ullam minimam ex suâ facere vult voluntate, non implet is perfetè divinam; neque *mortuus est cum Christo*. id quod Servator ipse declarat similitudine *grani frumenti*, *nisi mortuum fuerit, fructum nullum afferentis*<sup>f</sup>. Ceteræ quoque ejusdem Parabolæ, quæ mortificationis nobis usum commendant, & quibus regnum cælorum comparavit, eam integrum ac indivisam esse debere ostendunt: sicuti *thesaurus absconditus*, & *pretiosa margarita*; præ qua vendidit negotiator *omnia que habuit*, & emit eam<sup>g</sup>. *Omnia* cùm dicit; nihil excipit.

Miseranda enimvero res est, reperiri quosdam, qui post multos magnosque, ut in majoribus impotentes animi sui motus coercerent, exantlatos labores, reculæ aliqui

e *Coloss. 2, v. 20.* f *Ioan. 12, v. 24. & 25.* g *Matth. 13, v. 44 & seqq.*

cui adhærescunt, eámque propter tantâ istâ carent voluptate. Ecquid dicemus de eo homine, qui, postquam pro incomparabili thesauro solverit ducatos mille; renuat deinde superaddere reliquum adhuc denarîum unicum , illiusque caussâ ab emtione resiliat? Istud ipsum significat *rete, plenum magnis piscibus*<sup>h</sup>; unde elapsus est nullus.hoc nos docet *granum sinapis, quod minus est omnibus seminibus que sunt in terrâ;* & cùm seminatum fuerit, *ascendit, & fit majus omnibus oleribus*<sup>i</sup>. Res etenim admodum parvæ, magnos sæpe effectus habent; ideoque minimè sunt contemnendæ , quantumcumque parvæ videantur: cùm rerum pretia ex suâ potius virtute, quam quantitate ac magnitudine debeant æstimari. Quare generoso animo abnegare se quis ipsum ex toto debet, solùmque Christum amplecti; Optimi Patris voluntatem integrè complendo , sibique persuadendo , difficultatem in eo solùm aliquam tam diù reperiri , donec quis sibi vim inferat, se vincat , Deique penitus exsequatur voluntatem. Est enim verissimum

<sup>h</sup> Iogn. 21, v. 11. <sup>i</sup> Marc. 4, v. 31 & 32.

num illud cuiusdam ex antiquioribus, Monachi pronuntiatum: hominem, dum se ipsum debellat, tristitiam sentire & laborem; verum ubi Christum repererit, non jam laborare, sed rosæ instar efflorencere, & veluti cælo nubilo & caliginoso lugent omnia ac tristantur; sole contrâ oriente, discussis tenebris, illustrantur: idem ei usu venit, qui clarissimam hanc lucem & splendorem animum recreantem, omnemque hujus vitæ tristitiam profligantem, est consecutus.

Quisquis id facere detrectat, nullam ille profectò in partem perfectè satisfacit obligationibus illis, quibus obstrictus tenetur supremo DEI dominio, tot tantisque titulis jus sibi infinitum vendicanti, nec ubi propriam, sed divinam semper & ubique faciamus voluntatem. Ac licet exsequatur, quidquid suavis DEI lex, & mandata ejus non gravia<sup>1</sup> exigunt; tantum tamen efficere

<sup>1</sup> Vide de fructibus mortificationis Iacobum Alvar. To. 1, lib. 2, part. 1, cap. 5 & pluribus sequentibus; Franciscum queque Arias, Alphonsum Rodriguez, & Iulium Fatium Tractatus de eis singularibus, qui desiderium tuum abunde, puto, explebunt. Ioan. 5, v. 3.

ficere nō potest, ut debitam parémque gratiam referat iis omnibus, quæ à divinâ manu accepit, accipítque. Non respondet hic talis præterea, nec satisfacit gratitudini, tot beneficiis debitæ, quibus nos sibi Christus adstrinxit: quia cùm plus debeat, quàm possit solvere; ne illud quidem solvit, quod potest. Illo quoque honore indignū se reddit, quo eos dignātur Angeli, qui cum legitimo Rege suo Christo Iesu sunt crucifixi: quoniā clara hostis, & inimici indicia, certumque colorem, amorē, scilicet, propriū, in eo observant. Neque gustabit deinde Calicem; illum quidem sub initium amarū, sed in fundo mellis plenum: quem nisi quis ad ultimā usque guttulam perhauserit, totam ejus suavitatem non percipit; neque commoda colligit & utilitates, ex plenâ sui abnegatione prodeunt. immo è contrario in manibus gestat venenū, à quo interfici potest; servat enim propriam voluntatē, quæ sola plura & graviora damna invehit, quàm Orcus omnis, & inferi, in exitiū nostrum conspirantes. Christum ille numquam item inveniet, quem sincerè nondum quærere instituit:

nec

nec eumdē assequetur, cuius vestigiis neque dum cœpit insistere; cùm tamen ad eam sequelam primus gradus sit, ipsōmet Salvatore docente, ut quis *abneget se met- ipsum, & tollat Crucem suam.*<sup>m</sup>

Figamus igitur mentis oculos in finem & metam hujus operis nostri & conflictū, ne cui aliquando labori parcamus: est enim pax animæ, regnum cælorum, Christi possessio, inventio ipsiusmet DEI. Inquiramus illum; (id siquidem nobis summopere conductit) sicuti nos, etsi nullo suo cum commodo, quæsivit ipse. Quæramus omni qua possumus sedulitate & impendio pretiosam hanc margaritam; quia ille tam diligenter quæsivit drachmam unam, donec inventiret eam<sup>n</sup>. Et notabile est, (verba recito Sancti Thomæ) quòd non dicit CHRISTVS, se illam emisse, sed invenisse; licet pretioso Sanguine, & asperâ passione genus humanum comparavit: quia in tantum desideravit salutem generis humani; quòd inventionem reputavit, tali modo se posse hominem à potestate Diabolicâ liberare, & ad beatitudinem æternam, ad quam creatus fuerat,

<sup>m</sup> *Luc. 9, v. 23.* <sup>n</sup> *Luc. 15, v. 8.*

rat, revocare. Similiter notabile est; quod etiam omnes Angelos convocat ad congratulandum, non drachme, non homini, sed sibi; quasi homo DEI DEVS esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset. Hactenus Doctor Angelicus; quem sequedo, juvat ingratitudinem & temorem nostrum paucis castigare. Si tam serio nos Christus quæsivit; cur ipsum, velut per ludum & jocum quærimus? Si omnia ille quæ passus est, præ salutis nostræ desiderio parvæ aestimavit; quare magni nos facimus rem nihili, ejusque causâ occasionem sponte amittimus facultatemque, non solùm promovendi commodi proprii; sed, quod multò est excellentius, insigniter propagandi & procurandi gloriam DEI, quæ est ejusdem adimpleti voluntatis. Totum se nobis impedit, & superimpedit liberalissimus Devs; cur nos igitur dimidios ipsi tradamus? O intolerabilis & fœda nostra hominum superbia, non verbis, sed factis ipsis, per execrandam blasphemiam, testantium, duplo nos amplius valere, quam immortalem

¶ S.Thomas Tomo 17, Opusc. 63, cap. 7, mibi pag. 102.

lem D'EV M! quia justissimo nobisque utilissimo contractui assentiri recusamus ; qui est , ut nos totos DEO demus , qui se totum prior nobis dnavit.

Accedit , neminem se vincere posse in rebus magnis , nisi minoribus victoriis proluferit , séque progressu temporis ad majores adsuefecerit. unde verissimè scriptum est à Richardo Victorino : *Qui molliter & dissolutè vivendo , inimico contra se vires præbuit ; versâ vice , ut contra hunc roboretur & illi resistat , à minimis incipiat ; & frequenter in talibus prævalere conetur , quatenus usū vincendo roboretur , & de minorum victoriâ , ad majora vincenda paullatim convalescat. P*

p Rich. à S. Vict. p. 2 , c. 21 in Cans,

CA-

## CAPVT XVI.

*Praxis absolutæ cum divinâ voluntate conformatiōnis.*

**Q**UANDOQUIDEM perfecta divinæ voluntatis adimpletio, non in eo uno consistit, ut omnia propter DEVUM faciamus; sed ut quæcumque nobis adversa accidunt, læti etiam lubentésque patiamur; cùm in utilitatem profectumque nostrum, quando nos totos sanctissimæ ipsius voluntati plenissimè consecramus, à benignissima ejus manu cuncta dirigantur: idcirco magis particulatim praxin hujus conformatiōnis & resignationis proponam in exemplo, pleno illustrium documentorum; quod Ioannes Thaulerus Theologo cuidam accidisse memorat, in eo Colloquio, quod instituit cum Mendico sibi à DEO submisso, à quo cælestem hanc Theologiam doceretur. Eorum ego Dialogismum, quæque inter ipsos gesta sunt, fusiūs renarrabo: præterquam enim, quod maximopere id conducet, ad perfectum nostræ cum divi-

divina voluntate conformatio[n]is Exercitium perdiscendum; commoda præterea declarat, ingent[er]isque, quæ in eo insunt, utilitates. Res itaque sic ferè habet.<sup>a</sup>

Magni nominis *Theologus*, quòd ab scien[tia] & eruditione sua, multa satis ad DEO serviendum præsidia non speraret; assiduis humillimisque precibus DEVM obsecravit, insignem ut sibi aliquem benéque peritum DEI famulum ostenderet, à quo viam veritatis doceretur. Cùm igitur octennium ipsum in hunc finem DEVM orasset; vox quadam cælitus lapsa, ita ipsum allocuta est: Ex iforā ad liminā templi, & offendes illuc hominem, qui te viam veritatis edoceat. Prodiit ergo in publicum; & ad ædis sacræ limina Mendicū invénit, pedibus nudis, lutoſis, ulcerosis, & multo pure fluentibus: cuius uestes (ita detritæ erant & laceræ) in univerſum vix tribus obo[li]is ſupputares. homo erat ad aspectum uisque adeò fœdus, ut vel tacendo ſufficienter proderet, quantopere hæ tantæ corporis miſeria.

<sup>a</sup> Breuius aliquanto id narrat Thaulerus edit. Colonienſi mīhi pag. 833. ē quo Drexel. Heliotrop. lib. 2, cap. 1. & alii. Quæ diu[er]ſo charactere expreſſarūt, & iſiſima Thauleri verba ſunt.

riæ humanam opem exposcerent: & accēpit tamen ab hoc ipso tam spirituale remedium, tamque excellentem & admirabilem doctrinam is, de quo loquor, Theologus, quantam & votis omnibus exoptaverat, & preces, sanctorum humiliūmque desideriorum refertissimæ, promerebantur. id quod ex eo, quem habuerunt, Dialogo clarè apparebit ; in quo Collocutores soli sunt Theologus & Mendicus : quorum ille domo egressus, simulatque in Mendicum incidit, initium Colloquio dedit.

THEOLOGVS. Det tibi DEVS proſperum manè, mi frater. MENDICVS. Gratias ago de salute, quâ me impertis: at qui ego non memini, me umquam adversum manè habuisse ; aut ullum diei non bonum principium. THEOLOGVS. Eja, sit ita ut dicis, & cum bonis illis diebus, quos semper habes, fortunatum te faciat DEVS! MENDICVS. Multa mihi bona optasquæ rata velit esse bonus Devs: sed, verè ut dicam, nec infortunatus aliquando fui; nec adversi quidquam sustinui. THEOLOGVS. Faxit Devs, mi frater, ut ceterâ illâ bonâ fortunâ tuâ, perpetuò felix sis. at

H ne

ne quid dissimulem , non assequor equidem, quid sibi hac tua verba velint ? MENDICVS. Narro igitur tibi, dicóque , ut misteris ; quia numquam infelix fui , neque sum etiamnum . THEOLOGVS. Salvet te DEVS ! jam nunc apertius lóquere : neque enim capio, quid dicas. MENDICVS. Libenter id faciam : Meministin' autem, quot me modis salutaveris? THEOL. Probè memini . optabam tibi prosperum manè , fortunam bonam, & ut semp̄ felix es̄s. MEND. Etiāmne recordaris , quæ tibi responsa dederim? THEOL. Recordor enimvero. Adversum te manè ullum habuisse, infelicemque , & infortunatum umquam fuisse, negabas. Ista sunt responsiones tuæ; quas, utpote obscuras nimium, me non percipere, ingenufassis sum: ideoque rogo iterum, ut eas mihi explanatione tuâ clariores reddas. MEND. Sic habeto igitur, mi frater; illos nobis dies prosperos esse, quos DEI laudibus celebrandis impendimus, à quo propterea vitam ipsam accepimus: illos contri aduersos , qui divinæ ejusdem gloriæ, ut decet, à nobis non consecrantur. Quidqui

tan-

tandem nobis eveniat, sive feliciter r̄es ca-  
dant, sive infeliciter, quolibet earum suc-  
cessu, Deo bene juvante, eūndem & pos-  
sumus, & debemus, gaudenti libentique a-  
nimo laudare; quoniam divinā ejus gratiā  
roborata voluntas nostra facit, ut dies pro-  
speros habeamus. Mendicus sum, quod vi-  
des; & rerum omnium egenus, mundum,  
velut peregrinus, longè latēque pererro;  
non habeo unde vitam sustentem, aut ubi  
habitem; ideoque multa molestāque itinera  
confidere necessum habeo. si neminem re-  
perio, qui stipem mihi porrigat, eoque fame  
premor; pro eo DEV M laudo. si grando, si nix, si  
pluvia cadit; si aura serena est, vel turbulentia;  
DEV M item laudo. si miser sum atque despectus;  
DEV M similiter laudo. si frigus patior, lacero  
obsoletōque tectus amiculo; DEV M non  
minùs laudo. denique quidquid malè mihi &  
sinistrè évenit, materiam illud habeo & ar-  
gumentum laudis divinæ; & ideo numquam  
triste manè mihi contigit. hinc etiam, quoties  
benignè mihi quidpiā, vel malignè faciunt  
homines; DEV M laudo, meāmque volunta-  
tem supremæ illi Majestati plenissimè sub-

H 2

mitte,

mitto, eique de omnibus gratias & laudem reddo. nec enim res adversæ in cauſſa ſunt, car diem ullum infaustum habeamus; ſed impatientia noſtra: ex quâ prôvenit, quô minùs noſtram divino ubique beneplacito voluntatem accômodemus, eámque omni tempore divinis laudibus celebrandis exerceamus. THEOL. Verè & prudenter, miſter, omnia iſta, de prosperis & bonis diebus, à te differuntur: & ſatî ſtam ſupér que intelligo; eos demum bonos proſperosque dies cendos, quos inter Dei laudes & encomia traducimus. MEND. Ego deinde me numquam infortunatum fuiffe reſpondi, nec adverſi quidpiam fuftinuiſſe; & verè reſpondi: nam felicitatis in parte reputamus omnes, quoties tam bellè res caidunt & proſperè, ut amplius aliquid meliusque, ne optare quidem poſſimus. At qui uti certum eſt, quidquid Deus nobis donat & evenire permittit, id optimum eſe, ita conſequitur indè, non me ſolūm, ſed quenacumque alium hominem, qui quidem animæ oculos apertos habeat, remque ipsam, uti Christianum decet, expendaſſe.

fortu-

## CAPVT XVI.

173

fortunatum se aestimare debere in rebus o-  
mnibus quæ accidunt , aut à DEO dantur,  
ordinantur, fierique permittuntur : quan-  
doquidem nihil eo melius cuiquam eveni-  
re possit. THEOL. Age porrò, mi frater, &  
doce, quo modo doctrinam tam salutarem  
& veritatem tam exploratam practicè exer-  
ceas, fructusque ex ea tantos colligas, ut te,  
pro eo ac dicis, beatum faciant. MEND. No-  
vi cum DEO vivere, ad eum planè modum,  
quo cum parente suo vivit filius; cogitoque  
mecum ipse diligenter , Optimum planè  
Parentem esse DEVUM, qui filios suos tener-  
imè diligat; quique, quia potens est & fa-  
piens, sciat possitque iisdem filiis suis dare  
& procurare, quod ipsis præcipue condu-  
cit : *eaque de causa, sive id,* quod mihi con-  
tingit, secundùm exteriorem hominem gra-  
tum sit sive contrarium, dulce vel amarum; sive  
gloriosum seculi judicio & honestum, sive  
pudendum & infame, utile valetudini vel  
noxiū; *latus id, tanquam optimum, suscipio;*  
eoque planissimè contentus, aliud nihil eo  
tempore æquè mihi expedire certus sum: at-  
que ideo, quidquid mihi accidit, bonam

H 3 for-

fortunam interpreter; próque omnibus  
DEO gratias persolvo. THEOL. Supereft, ut  
responſioneim tertiam declares; quā dice-  
bas, nullam tibi felicitatem deesse: id quod  
mihi captu admodum difficile eſt. cūm au-  
tem non minoris eam eſſe momenti exiſti-  
mem, quām priores duas; pari mihi clari-  
tate ſpero explicandam. MEND. Faciam  
id DEO adſpirante. adverte animum. Felici-  
cem inter homines eum ducimus, qui ha-  
bet quidquid desiderat; qui bene ubique  
rem ſuam gerit; cuius voluntas, ſine omni  
repugnantia numquam non impletur. jam  
verò homo nemo uſpiam eſt, qui ex mun-  
di legibus & præscripto vitam transigendo,  
ad perfectam hanc felicitatem pertingat;  
quod adeò notum eſt & manifestum, ut  
de eo dubitare non liceat: obtinent autem  
illam plenè integrēque Beati in cælis, id-  
que idcirco; quia aliud nihil volunt,  
quām quod vult Devs. Eodem ſe mo-  
do res habet inter homines mortales.  
Quisquis ſuis mortuus desideriis & ap-  
petitionibus, voluntatem ſuam divinæ  
in solidum subdidit, iisque quæ Devs fa-  
cit,

cit, sive ad ipsummet illa hominem, sive  
alios pertineant, delectatur & acquiescit;  
hunc talem, in hoc Orbe beatum prædicare  
possimus: quoniam cælestibus perfruitur  
deliciis, dum suam in rebus omnibus vo-  
luntatem, quia divinæ consentientem, videt  
adimpleri. THEOL. Amabo te, quomodo  
in rem & usum ipsum, doctrinam istam  
deducis? MEND. Firmiter decrevi & statui,  
*soli divinæ voluntati inherere; in quam sic inte-*  
*grè omnem meam transfudi volūtatem, ut quid-*  
*quid ille vult, èt ego velim, immo voluntatem*  
propriam nullam habeam amplius: atque  
hac ratione quietissimus & contentissimus  
vivo, mèque felicem esse censeo. quidquid  
enim me facit DEVS, id mihi singulariter  
gratum accedit; multoque majorem hinc  
capió voluptatem, quàm homines illi,  
qui animo desiderioque suo ex toto obse-  
quuntur. THEOL. Planè jam tenco, in quo  
repositam tuam tu habeas felicitatem; & ni-  
mis quàm veri videntur mihi esse omnes hi  
sermones tui. unicum tamen restat, ad hanc  
voluntatis propriæ cum divinâ conforma-  
tionem spectans, quod dubitationem mihi

H 4      afferat,

afferat, estque istud: *Quid, obsecro, dicturus es-*  
*fes, aut facturus, si te Dominus Majestatis in*  
*abyssum demergere vellet?* MEND. In abyssum  
me demergeret? Et revera si id faceret; duo mihi  
spiritualia brachia sunt, quibus eum amplexa-  
rer. Horum brachiorum alterum, sinistrum  
nempe, est vera HVMILITAS; & hoc suppono  
subjicioque Christo Domino, atque per i-  
psum sacratissimæ Humanitati ipsius unitus sum.  
Alterum, idemque dextrum, est AMOR, qui Di-  
vinitati ejusdem Domini mei IESV Christi  
unitus est; atque per hunc ipsum circumplexor  
arctissimè, complexu ita insolubili; ut si abs-  
que peccato ad inferos præcipitarer, ibi si-  
ne DEO futurus non essem; immo ipse me-  
cum ad infernum descendere cogeretur. Optatus  
autem multò mihi foret & gratius, in inferno  
cum DEO esse, ejusque amore; quam vel in  
cælis, locove, quem cogitatione quis finge-  
re queat amoenissimum, sine illo, & gratiâ i-  
psius. THEOL. Duo, nempe, ista, nisi me fal-  
lo, vis dicere. Alterum, Humilitatem profun-  
dam, compendiosissimam ad DEV M semitam esse.  
alterum verò, DEV M, uti nos ad amorem sui  
præcepto suo obligavit; ita numquam ali-  
quid

## CAPVT XVI.

177

quid illi contrarium aut repugnans impe-  
raturum esse. quare sic nos Æternam illam  
Majestatem fas est compellare : Domine,  
dummodo te amem ; dummodo in gratiâ  
tuâ perseverem ; dummodo à tua laude non  
impediar, projice me, quò vis : nam quivis  
locus, te socio & præsente, mihi futurus est  
jucundissimus. MEND. Probè dicta mea  
percepisti. éstne aliud , de quo ambigas?  
THEOL. Istud adhuc nôsse pervelim, mi fra-  
ter; quandoquidem tam arctè DEO devin-  
ctus es, ubi illum reperiam , ut eidem ipse  
quoque conjungar ? nec enim locum ul-  
lum commodiorem mihi fore credo, quàm  
in quo túte illum reperisti. MEND. Nullo in-  
alio loco, aut tu, aut ego, aut alius quicun-  
que, eum reperiemus, quàm ibi, ubi, amore  
ipsius, *creaturas omnes derelinquemus.* THEOL.  
*Vbi verò DEV M reliquisti?* MEND. In mundis  
cordibus, & hominibus bona voluntatis. hîc eum  
reliqui; hîc reperio. THEOL. Vnum hoc ro-  
gare adhuc liceat: *Quisnam es tu?* MEND. Ad  
eam quæstionem non habeo , quod re-  
pondeam certius ; ut quis sim intelligas,  
quàm si dicam, me Regem esse : & Rex sum

H 5

pro-

profectò. THEOL. Itáne verò fieri potest, ut  
Rex sis : ubinam ergò est regnum tuum ?  
MEND. Regnum meum in animâ meâ est.  
sic enim & externos , & internos sensus meos  
regere novi, ut cunctæ affectiones & vires animæ  
meæ, mibi rationique subditæ sint. quod profe-  
ctò regnum, mi frater , cunctis mundi hujus  
regnis præstantius esse nullus ambigit : hincque  
intelligis , quâm non sine ratione Regem  
me esse dixerim ; quippe qui verè illud,  
quod dixi, regnum, per DEI gratiam , sum  
consecutus. THEOL. Quia abitum te med-  
itari conjicio ; istud ad extremum scire per-  
cupiam ; quò vadis ? MEND. Vado, unde ve-  
nio. THEOL. At unde venis? MEND. A  
DEO venio; adeoque iter meum à DEO fit  
ad DEVUM: comes autem meus , ille ipse  
DEVS est. quæ si fortè non satís intelligis;  
eccedum edifero, quæ dixi, planiùs. Quo-  
niā DEVS præsens est locis omnibus , i-  
psiisque essentia in singulis reperitur crea-  
turis; hinc, licet locum ipse mutem, aliásque  
& alias intueat creaturas, cum iisque agam  
& colloquar; in omnibus DEVUM reperio, &  
hunc potius quâm creaturas, pérque illum

mag.

## CAPUT XVI.

179

magis video quam per istas. Quae creaturæ si DEVM mihi absconderent, facerentque, ne ipsum in illis possem reperire, eas perinde odissem, atquè inimicum capitalem. THEOL. Quid ad hanc te, quæso, perfectionem perduxit? MEND. Tres omnino res; *nimirum Silentium continuum, sublimes Meditationes, & Vnio cum DEO.* In nullâ re, quæ DEO minor foret, quiescere potui. Iam verò DEV M meum inveni; & in ipso pacem & quietem habeo sempiternam. Tu quoque si seriò ad perfectionem, verâmque animi quietem & pacem aspiras, cave illam quæras inter creaturas, nec eas ullatenus aestimes, si tuā cum Deo tuo conjunctionem impedian. Tria ista, quæ paulò antè adducebam, diligenter usurpa: serva perfectum silentium: vita consuetudinē & familiaritatē hominum; qui non raro caussa sunt, ut pacē & lātitiam amittamus, quam in nostro cum Deo silentio obtinueramus. Da operam, ne cogitationes tuæ humili serpent, sed sublimes sint & excelsæ; non de rebus temporalibus, sed æternis; non de humanis, sed divinis; non de carne, sed spiritu; non de terra, sed cælo; ut unio cum Deo, vita tua sit.

H 6Abstra-

Abstrahete ab omnibus, quæ condita sunt; tamquam si nulla in mundo esset creatura. Cura, ut Mundum habeas pro mortuo. intuere illum, velut domum incendio percutientem; unde diffugiunt, quicumque nolunt interire: simili enim modo fugiendus tibi est Mundus, sic experturo, longè te appetiorem reddi ad intimam cum DEO unionem, atque ad pacem & quietem, cum, & in illo eodem, possidendam ac conservandam. Quem ipsum DEVUM submissè rogo, suam ut tibi gratiam largiatur, idoneumque faciat ad ea, quæ à me doctus es, opere ipso explenda.

## C A P V T XVII.

*Quid omnium maximè incitare nos debeat ad divinæ voluntatis impletionem, nostraque cum eadem conformatiōnem.*

**V**T tantò majori cum perfectione fruētūque voluntatem divinam faciamus, nōsque illi plenè intégréque confor-

me-

memus; plurimum juvabit, diligenter ad-  
vertisse incitamentum & caussam, quam e-  
jus implendæ habemus præcipuam. quam-  
vis enim verissimum sit, titulos nos & ra-  
tiones, quæ ad hoc nos obligent, habere  
oppidò multas, eásque omnes imprimis  
meritorias; unica tamen ratio est, ceteras,  
nullâ exceptâ, dignitate, præstantia, meritó-  
que suo longissimè excedens, Deoque ac-  
ceptissima. Et verò si quis perfectè DEI stu-  
det exsequi voluntatem, suóque in omni-  
bus gratus vult esse Creatori; hic nequa-  
quam contentus est, fecisse quod DEVS pro-  
bet: sed sic faciendum illud credit, cō-  
que planè modo, quo fieri vult DEVS; hoc  
est, ut majus apud ipsum meritum colliga-  
mus, ipsique quantum fieri potest, placea-  
mus. Divinam etenim voluntatem implere  
possimus, vel DEVM aspiciendo, uti supre-  
mum Dominum, cui servitutem & obse-  
quia debeamus; veluti Patrem amantissi-  
mum, ad cuius imperia promptos nos pa-  
ratosque esse oporteat; vel ut Benefactorem  
liberalissimum, cuius in nos meritis gratiæ  
referendæ; vel ut Remuneratorem fidelis-

H 7 simum,

simum , à quo præmium amplissimum exspectemus; vel quia hæc res una sit omnium nobis optima, utilissima, honorificentissima, maximèque humanæ conformis dignitati. Præclara sunt hæc incitamenta omnia & sancta ; quæ universa tolleret , quisquis in divini adimpletione beneplaciti , deses reperiretur ; concularétque hic idem quodcumque Dei jus obtinet , ut ipsius , non proprio nutu arbitrioque vivamus. Verum enim verò nondum attuli titulum omnium honestissimum ; nondum produxi jus sanctissimum & strictissimum ; nondum incitamentum gratissimum acceptissimumque Deo , cui tantoperè probare nos debemus. Profectò enim , licet in omnibus quis actionibus suis divinam faceret voluntatem , ob eas , quas dicebam , rationes & caussas ; bonas utique & sanctas , quibúsque etiam juvari debemus : ille tamen omni ex parte satisfactus non esset beneplacito & desiderio Dei , majorem justificationem & sanctitatem nostram expectans ; scilicet , ut sancti simus & perfecti , sicut

Pater

## CAPUT XVII.

183

Pater noster cælestis perfectus est<sup>a</sup>. quia sic faciendo, nondum maximâ, quæ esse potest, absolutione animique liberalitate, supremam perfectionis legem, & mandatum maximum impleret, quod sic jubet: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*<sup>b</sup>. Quamvis autem ad divina implenda præcepta, simpliciter necessarium non sit, omnia, & semper ex solo facere amore, id tamen apprimè decet; ut hoc patet respondeamus desiderio DEI, majorem perfectionem nostram valdè exoptantis: cuius studium ideo tam serio nobis commendat; eique magis magisque promovendo, unicè & amicissimè à nobis petit, suā ut voluntatē tenero quodā robusto, legitimo, puro, veroque amore exsequamur: non aliā ob caussam, quam ob nobilissimū hunc, unicūmq; titulū. quia Devs est, qui est; admirabile illam bonitatē amando, de infinitis ipsius perfectionibus nobis cōplacendo, ob immensas ejus divitias, infinitāmque gloriā, ac magni-

<sup>a</sup> Matth. 5, v. ult. <sup>b</sup> Dent. 6, v. 5; Matth. 22, v. 37; March. 12, v. 30.

magnitudinem exultando. Porro si quis tantum non proficerit, ut divinam voluntatem perficiat sine spe omni proprii commodi, eò solùm, quia Deus est, qui est; is nondum modo excellentissimo implere didicit, quod fieri cupit Deus, atque ut ipse meretur; neque mercedem consequetur, quam aliás exspectare poterat; neque tā gratus suo erit Creatori, quam ceteroqui futurus erat; neque ita copiosè fruetur maximis thesauris, in hoc Exercitio reconditis; neque favum illum suavissimi mellis, in voluntatis propriæ, ut sanctissimam Dei voluntatem faciamus, abnegatione latentem degustabit: proptereaque permagni interest, ut vehementi quodam, erga interminatam illam essentiam, erga immensam illam bonitatem, erga naturam illam infinitis opibus & perfectionibus abundantem, amore impulsi, æquissimam ejusdem voluntatem perficiamus. Hanc nostram esse oportet occupationem, hoc officium, hoc gaudium, hunc laborem nostrum; in eo repositum habere debemus honorem nostrum; ad hoc adygilare decet intellectum

no:

nostrum. hoc nostræ pabulum sit voluntatis; in hoc exultet cor & caro nostra ; huc ad vocem vires animæ nostræ; in hoc impendatur & superimpendatur quidquid sumus & possumus, desideria nostra, affectus nostri, robur nostrum, omnisque substantia & vita nostra. ecquâ enim in re utilius collocemus ætatem , & consumamus omne esse nostrum , quâm ibi, ubi totum & omne Esse reperitur ? Nescio profectò, ut ex animi mei sententia loquar, quo pacto fiat, ut æterna illa Pulcritudo, illa Bonitas, Omnipotentia & Sapientia infinita , cor nostrum ad se non penitus rapiat ; quomodo non anima nostra , castissimi amoris flammis succensa, tam amabilem DEVM sequatur. O quantæ, quâmque eximiae felicitatis est, tam sublimem Essentiam posse admirari ah ! quid erit igitur, eam amare posse, eam amplecti, cum ea deliciari, eidem usquequaque placere ? Cor nostrum jurè ac meritò purissima semper voluptate & lætitia diffluat, vel sola recordatione hujus unus felicitatis, quod efficere aliquid liceat, quo oblectetur DEVS ; & quod eumdem

non

non honorare dumtaxat possimus ; verum etiam amare. Non assequor equidem , cur non minimæ illius creaturæ , pluris à nobis ipsis æstimemur ; & cur non gloriemur ideo , quod ipsius sumus ; & quare non perpetuò attoniti ambulemus , ipsius magnitudinem & bonitatem considerantes , atque excellentissimum . illud Esse , quod nullam habuit originem , (quâ nobilitate nihil illustrius ) amantes . Esse illud , quod uti à nemine factum est , & à nemine limitari potest ; ita infinitè bonum est & perfectum : adeò , ut nec intellectus noster majus aliquid cogitando sibi queat fingere ; & quidquid denique fingat , id ad magnitudinem illius collatum , parvum sit , & nihil . Esse illud tam admirabile ; quod cùm unum sit , est trinum , & in summâ suâ unitate complectitur Trinitatem : miraculum miraculorum , quod per omnem æternitatem perpetuam maximamque movebit admirationem . Esse tam infinitè bonum , ut totum id quod est , Pater communicaverit Filio , & Filius ejusdem cum Patre bonita-

bonitatis, dederit peccatoribus. Esse tam bonum, ut nec punctum ullum temporis cessare potuerit à communicatione sui ipsius; aliter admirabili bonitati suæ haud quaquam satisfacturum. Esse omnipotens, quod res omnes ex amore & ex nihilo condidit. Esse tam sapiens, ut in bene nobis faciendo errare non possit. Esse tam immensum, ut abesse à nobis nequeat, quodque nos, quoquò eamus, videt, quæque petimus exaudit. Esse tam immutabile; cuius pulcritudo non potest exolescere, neque benevolentia deficere. Esse simplicissimum; in quo sine inquietudine ulla & impedimento bonum omne possidemus. Esse tam justum & misericors; quod, ut misericordiam adhiberet, pepercit hominibus, *proprio Filio suo non pepercit*. Esse æternum, quod nobis intermori non potest. Esse fidelissimum; cui etsi nos fidem datam fregerimus, promissiones tamen nobis factas accurate præstat. Esse tam amans nostri, ut miserias infirmatésque nostras tolerare sustinuerit.

Esse,

*[C Rom. 8, v. 32.]*

Esse, quod omni ei quod est, dat suum esse; quod cælos sustentat, & per quod elemen-  
ta pérmanent, plantæ vivunt, animalia  
sentiunt, homines ratione utuntur, Angeli  
intelligunt. Esse immensum, quod nihil  
turbatur faciendo omnia, curando omnia,  
in omnibus existens. Esse tam bonum, ut,  
non obstante illius magnitudine immensa,  
authoritate infinita, majestate suprema;  
tanta nihilò minùs ipsius benignitas sit &  
dignatio, ut hominis caussâ per se-ipsum  
fructus maturet in arboribus, panem præ-  
paret in spicis, potum moliatur in fontibus,  
vestem componat in agris; per se-ipsum co-  
quat cibaria, curet tegendæ nuditati nostræ  
lintea, séque ob creaturam tam vilem de-  
mittat ad officia abjectissima. Esse tam bo-  
num, quod in se concludit omne bonum;  
à quo oritur omne bonum; unde nata est o-  
mnis pulcritudo; unde omnis justitia pro-  
manavit; unde omnis potentia dependet;  
unde omnis sapientia suam ducit origi-  
nem, omnis dulcedo suum principium; &  
quod est bonum super omne bonum, pul-  
crum super omnia pulcra, justum super o-  
mnia

mnia justa, potens super omnem potentiam, sapiens super omnem veritatem, dulce super omnem saporem. Esse tam bonum, bonaeque aede voluntatis, ut mori elegerit, quod abjectissima viveret creatura; humiliari, ne vermiculus aliquis se extolleret; homo fieri, propter inimicum sibi, & divinitati suae insidiantem hominem; ut se ipsum denique relinquere voluerit alimoniam & sustentationem vitae ejus, qui mille mortes merebatur; & humano claudi corpore, quem non capiunt cæli cælorum.

O Deus, quam bonus es, & præsertim mihi! sunt enim hæc omnia, velut totidem conclusiones & argumenta, me impellentia, ut totum metuæ sanctissimæ subjiciam voluntati; cum multò mihi melius fuerit, quidquid tu voluisti pro me, quam quod ipse volui. Et quia infinitè bona fuit voluntas tua; minus certè ipse tu bonus esse nequis: & sine dubio minus bonus in te ipso esse nō potes, quam erga me fuisti. Utinā igitur in omnibus impleam voluntatem tuam tam bonam; & impleam ideo, quia Tu tam bonus es! Millies & ex animo gratulor

crea-

creaturis omnibus, propter tam bonum  
quem habent authorem; propter nobilita-  
tem suæ originis, & propter gloriam indè  
profectam, quod opus sint & factura ma-  
nus tam bonæ. Plaudant cæli; quia suum  
comprehendere nequeunt Creatorem! ser-  
vent planetæ cursum suum! stellæ majora  
accendant luminaria; ut luceant luci huic  
inaccessibili, quæ formavit illas! exultent  
elementa, quia qui creavit illa, centrum  
est & perfectio universi! mixta omnia,  
plantæ, aves, animalia, homines, An-  
geli diem festum agant; quia tam ma-  
gnum consecuti sunt Regem, tam poten-  
tem Principem, tam sapientem Præsidem,  
tam bonum Patrem! lætentur cæli & ter-  
ra de gloria talis Domini, & de magni-  
ficentia tanti Monarchæ; cuius volunta-  
tem implere possumus in terris, sicut  
Angeli faciunt in cælis! Quoniam verò vo-  
luntatem Dominis sui implant Angeli, eum  
amando; quia Deus est, qui est, tam infini-  
tè bonus, sanctus, magnus, perfectus:  
quid minus, quæso, faciamus nos homines,  
pro quibus, cum adhuc inimici ejus esse-

mus,

## CAPUT XVIII.

191

mus, plus ipse fecit , quām pro Angelis,  
et si fidis sibi & domesticis? Turpissimum  
certe indignissimumque sit, omittere nos  
propterea DEI implere voluntatem; quod  
melior ipse benigniorque erga nos fuerit:  
adē quippe in se infinitē bonus est, ut  
temperare sibi non potuerit, quin quan-  
tumvis pessimis & ingratissimis nobis bo-  
nitatem beneficentiāmque suam tot modis  
probaret hactenus, probetque etiamnum  
per horas ac momenta singula , paratus id  
facere in sempiternum.

## CAPUT XVIII.

*Quanti referat, propriam negligere  
voluntatem, ut faciamus voluntatem  
DEI; deque multiplicibus Mortificatio-  
nis perfectae emolumenis.*

**N**ondum acquiesco iis quæ generatim  
de hujus Exercitii divini præstantia &  
praxi differui; sed lubet magis ad particula-  
ria descēdere, illudque dicere explicatiūs, in  
quo priora omnia reperātur, doceatūrque;  
quo

quo pacto sancta Anima, quantam quidem  
mortalis hujus vitæ conditio patitur, DEI  
voluntatem perfectè integrèque possit ad-  
implere. ad quod tria potissimum requiri  
mihi posse videntur. *Primo;* ne ulla in re pro-  
priam faciamus voluntatem. hoc veluti  
fundamentum est reliquorum duorum;  
cùm fieri nequeat, ut divinam voluntatem  
exsequamur, nostræ adhuc voluntatis stu-  
diosi: à qua priùs expediti, molestissimò que  
illo & intolerabili pondere proprietorum af-  
fectuum (qui faciunt, ut nullum sit onus  
gravius, quam quisque sibi ipse) exonerati  
esse debemus; hoc deinde facilius agniti,  
impleturique voluntatem DEI. *Secundo;* ut  
quidquid facimus, ideo solum faciamus  
quia sic vult DEVS: ad quod necessaria est  
intentionis puritas, & sanctissimæ ejus vo-  
luntatis agnitus. *Tertio;* ut contenti simus, &  
probemus omnia quæ DEO placent: nam  
ad hoc, ut unum idemque cum DEO Velle  
habeamus & Nolle, haudquaquam satis est,  
facere quæcumque vult DEVS; sed hoc am-  
plius providendum, ne ulla in re oblige-  
mar, aut dissentiamus ab eo, quod faceret  
vult DEVS.

De

De omnibus his, quantum necesse est,  
agamus; eademque operâ uberiùs declara-  
bimus nonnullas ex iis rationibus, quas su-  
prà, ad utilitatem & excellentiam hujus  
Exercitii confirmandam, adducebamus:  
ut illius usu, non modò cum divina volun-  
tate conformitatem; verùm etiam uni-for-  
mitatem, immo (si ita loqui fas est) Dei-  
formitatem quamdam consequámur.

Quod itaque ad primam partem attinet;  
ut Dei voluntatem compleamus, omnino  
necessarium est, ne faciamus nostram: id-  
què magis, quàm glacies sit aperienda, quòd  
aqua ferveat. atque uti Romæ simul degere  
nemo potest & Madriti; sed alterum relin-  
quere debet locum, cùm alterum versus  
proficiisci cogitat: eadem prorsus ratione,  
ut Deo, & in Deo vivamus, divinam vo-  
luntatem exsequendo; necessum est, ut nos  
ipsos relinquamus, nostrisque abdiceamus  
voluntates. juxta id, quod Christus ipse nos  
docet, jubens, ut, *siquis ipsum vult sequi, ante  
omnia, deneget semet-ipsum;* & tollat crucem  
*suam*; hoc est, propriam voluntatem, cùm

I omni-

a Marci 8, v. 34.

omnibus suis passionibus, appetitionibus ceterisque interioribus exterioribusque potentiis, in quibus éadem voluntas se exserit pascitque, cum universalí quadam omnium istorum mortificatione, abneget penitusque extirpet.

Nolim tamen quemquam terreat durum illud asperumque nomen Mortificationis universalis: illius potius admirabiles effectus, suavissimosque fructus consideret, atque ab ea non modò non abhorrebit; sed viribus omnibus amplectetur: aut, si animi tantū non habet, se ipsum certè, etiam si velet, fallere tamen non poterit, eamque complectendā expetendā inque esse, verè existimabit. Ergo Tyrannus aliquis est Deus, qui sine caussa, nostris se doloribus cruciatisque oblectet? cui dulce sit & jucundum, famulos suos & filios dilectissimos, toto corpore ciliciorū asperitate compunctos, flagrorum diritate laceros atque dissecatos, famelicos, sitiundos, humiliatos, afflictos, omnique in hoc orbe solatio destitutos intueri? Magnū enīm vero bonū è Mortificatione hac existere, fatendū est; quandoquidē  
bo.

bonus ille & misericors Deus, Patérque amabilissimus, tories illā nobis tamque accurate, & per Vnigenitum suum, & suorū ore Prophetarū, sanctorūmque Apostolorū commendat Quo modo Iesvs, adeò mitis & humilis corde<sup>b</sup>, clarissimā hanc sententiā enuntiare potuisset, & dicere: *Si quis vult post me venire, abneget se met ipsuī, & tollat Crucē suā quotidie<sup>c</sup>*; nisi eā proponendo, singularē unā favorem benevolētiāmque suā erga nos testaretur, propter emolumenta & utilitates eximias, quae ex hac reuuntiatione nascūrur? Tamen si autē exploratissimū sit argumento alio nullo, ad eam persuadendā, nobis opus esse, quām, quōd huic Domino non displaceat: non omittā tamen, fructus præterea alios cōmodaque nōnulla ex eā provenientia adnotare; ut tantō clariūs perspiciamus, quām rationi congrua justāque sit voluntas divina, quāmque nobis proficia. quia si in ipsa Mortificatione, quam usque eō abominamur, has conditiones inesse deprehendemus; easdem nos in aliis, non perinde gravibus molestisque rebus, similiter reperturos, non poterimus ambigere. I. 2. Tot.

<sup>b</sup> Matth. xi. v. 29. <sup>c</sup> Lyc. 9. v. 23.

Tot porrò Mortificationis, propriæque voluntatis abnegationis fructus sunt, ut penè expostuládum cum Deo fuisset, nisi tam serio eam nobis, tamquam convenientissimam, commendâsse; minúsque ipsum misericordem existimare potuerimus, si ad illam nos hortari omisisset. Si quis Pater filium, quem habet frugi hominem, formosum, modestum, planéque egregium, in valetudinario publico decumbentem videret, admodum jam deformem, phreneticum, adeoque debilem, ut nec brachium movere queat; palato autem ita vitioso, ut solis immunditiis sordibúsque vicitaret; atque remedium ipse nōsseret, quo adhibito, non mortis solum discrimini subtraheretur filius, sed integrè etiam convalesceret, robustiorque, quam antè umquam, evaderet, & melius dispositus excitatiorque, ablatâ naufragâ, cibos lautiores & cupidissimè appeteret, & liberalissimè iisdem uteretur: numquid crudelis ille Pater sit & impius, si mendacitatem hoc occultum habeat, neque de eo verbum ullum faciat, neque jubeat præparari? Istiusmodi Parentē omnes haud dubie

## CAPUT XVIII.

197

dubiè aut stultum esse judicarent, aut inhumanius: utpote, qui tam acerbè filium oderit atque detestetur. Verùm quâ demum ratione, quod reprehenderemus factum ab homine, à Dño ipso petere audemus & exoptare? Possimūsne sapienter velle, ut in tota divina Scriptura, neque clarissimis exemplis, neque Prophetarum oraculis, neque ipsius met Unigeniti Filii ore sacratissimo, manifestatum sit & promulgatum exquisitum adeò, reparandæ depravatæ, letabilisque morbis debilitatæ, & ad bonum ineptæ, penitusque corruptæ naturæ nostræ remedium, atquè est divinæ gratiæ auxiliis comitata Mortificatio? Per illam namque homo affectus suos componit; appetitiones exorbitantes cogit in ordinem; purgat intellectum; renovat spiritum; in pristinam asseritur libertatem; subinde etiam in majori, quam umquam fuerat, sanctitatis gradu collocatur. Quia igitur fronte exoptet quispiam, reticuisse DVM, nec indicasse laudasse que tā singulare remediū? & quare non saluberrimi consilii Auctori gratias inerita referamus, eaque medicinâ ad salutem no-

I 3

stram

stram ut amur? Quoties, quāmque eloquenter solemus lamentari, excidisse nos felicissimo illo Innocentiæ statu, in quo tantopere cuncti vitam transfigere optâssemus? Quòd si ars igitur aliqua industriaque inventa sit, quā in optatissimam conditionem illam, Deo juvante, restituamur, naturāmque depravatam corrigamus, cupiditatibus nostris moderemur, & potentias nostras reformatas; cur, quæso, eam asperniamur? Verèsi ad aliud nihil Mortificatio propriæque voluntatis abnegatio proficeret; unum illud satis supérque persuadeat, omni cogitatione curāque in eam esse incumbendum. Metus ille noster & suspicio, eam sub initium nimis esse auferam; prorsus est inexcusabilis, neque ineptius quidquam impudentiūs que caussari possemus. quid enim? ut corpus valeat, medicinam, quantumcumque amaram, accipere nihil dubitamus; & pro salute animæ, pro corruptæ naturæ nostræ remedio, recusemus admittere, quod & minus habet amaritudinis, & usu ipso dulce sapidūmque redditur? Cogites, quæso, tecum ipse, quantò plura faciant, qui x.  
gro

## CAPUT XVIII. 199

gro sunt corpore, quam Mortificatio possest. Ipsa sibi viscera aperiri ferunt; ut calculus aliquis, quo cruciantur, eximatur: carnem vivam inuri sinunt, ad vulnus leve persanandum; immo artus & membra integra, modico carcinomati impediendo, defecari permittunt. Gustatus eorum quid non patitur ab amaris potionibus? ecquando propriæ ipsi voluntati obsequuntur? Medicis & Chirurgis ex toto subiecti, suo animo in re nulla utuntur. Auxillum aquæ petunt; nec impetrant. E lecto optant surgere; & vetantur. Somnum vellent capere; sed quovis ille propè momento turbatur, aut interrupitur. Quid habet, obsecro, misera hæc & fastidiosa vita ad Mortificationem; quæ numquam tantam parit molestiam, & dulcescit denique; neque, uti corporales medicinæ, remedium incertum dubiumve subministrat. Quod si extremè impius & barbarus sit Pater, negans filio quod novit mirificum & salutare medicamentum; filius, oblatum detrectans sumere, æquè inhumanus censi debet & desperatus. Simili ratione, si quis

rem ipsam penitiùs inspiciat; perditum illum, impium, sibiique ipsi inimicum judicabit, qui Mortificationem, ad corporis spiritusque corruptionem sanandam tam opportunam, prætermittat. Quare sicut inter præcipua Dei beneficia numerandum est, eum Mortificationem nobis commendâsse; ita facilè severissimam idem in quempiam pœnam statuit, quando suis illum desideriis permittit. id quod ipse hisce apud regium Prophetam verbis testatur: *Non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi; & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Sanctus quoque Paullus, fastum superbiāmque Gentilium castigatam à Deo dicit, *cum tradidit illos in desideria cordis eorum.* quod est horrendum gravissimum, quæ designarunt, flagitorum supplicium: neque acrior ulla Dei vindicta reperitur, quam quoties unum peccatum punit per aliud, & posterius pœna est antecedentis. Adde dolores, in quos tales incidunt; cum gravius tormentum nullum sit, quam quod nostræ nobis inferre solent passiones: & in compa-

*d Psal. 80, v. 12. & 13. e Rom. 1, v. 24.*

## CAPUT XVIII.

201

comparabiliter sine omni dubio gravior la-  
bor est & molestia ejus, qui Mortificatio-  
nem omittit, quam qui in cupiditatibus suis  
refrenandis studiosissime diligentissime  
que elaborat.

Istud quoque in Mortificatione bonum  
inestimabile reperimus, quod pro peccatis  
præteritis satisfaciat, pœnasque ejus debitas  
vel imminuat, vel facili negotio ab eis li-  
beret. Nescio equidem, quem illum sen-  
sum habere dicam, qui hunc contractum  
non approbat, deque occasione tam com-  
modâ sibi minimè gratulatur. Si etenim  
Creditor debitori suo, qui, ære alieno op-  
pressus, eò quod solvendo non sit, maximo-  
pere angitur, mille quos debet ducatos,  
mitteret, diceretque, ut quamprimum pro  
singulis ducatis, numimulos aut denarios  
singulos numeraret, amplius deinde nihil  
se exacturum; sin id nollet, differreretque,  
dum pignora caperentur, omne debitum  
ad novissimum quadrantem esse persolven-  
dum: ecquis deum adeò reperiatur a-  
mens, qui solutionem cum tam manifesto  
detrimento suo vellet procrastinare? Nihilò

I 5

sanè

sanè tolerabilius nos insanimus , nisi quæ pro peccatis nostris contraximus nomina statim tollamus ; cùm longè amplius satisfaciamus eo, quod in hac vita , voluntariis nempe pœnitentiis & mortificationibus, velut paratâ pecuniâ repræsentamus & exsolvimus, non expectando , dum Devs sibi ipse, ad *novissimum usque quadrantem*<sup>f</sup>, de nobis & corpore nostro solvat in Purgatorio ; cuius cruciatus multò plūs exceedunt omnia hujus vitæ supplicia , quam denarii unius pretium integer ducatus.

Accedit , quod illa DEI in purgatorio igne castigatio, non fiat in opibus, aut rebus externis, sensu expertibus; sed in nobis met-ipsis, per incredibilia tormenta, & quæ longè acerbiora , quam paupertatem experiamur. Quæ sit igitur sapientia , si quispiam condemnatus , ut carentibus forcipibus lanietur , tam barbarum & crudele supplicium , alienis sibi carnificis manibus inferendum , unico solùm die à cibo abstinendo, declinare posset; il-

lud

<sup>f</sup> Matth. 5, v. 26.

CAPUT XVIII. 203

Iud tamen ipsum facere abnueret? Talis planè nostra est imprudentia, nihil facere cupientium, ut à cruciatibus illis in quorum comparatione, nulla censenda sunt maxima etiam hujus vitæ tormenta, libremur.

Si tamen pœnæ in altera vita luedæ, quas aufert Mortificatio, minimè nos permoveant; istis saltèm flectamur, quæ per illam in hac vita tolluntur. Munit etenim illa nos adversus morbos acutissimos, ardentissimosque dolores, aliásque ob peccata nobis infligendas à DEO plagas; qui ubi nos ipsos videt pro eis satisfare, subtrahit vindicem manum, nec porrò pergit affligere. contrarium verò iis accedit, qui sibi-met-ipsis imperare, séque mortificare omittunt: solet quippe DEVS morbis eos, malisque sine dubio molestioribus affligere, quam futurum erat, si ipsi strenuè se mortificassent.

Quo in genere memoratu dignum est, quod è nostris Patri Georgio Colibrant, insigni virtute Viro, & egregio sui Victori

evenisse constat. Is mirum in modum cor-  
pori vexando addictus, ubique in se-ipsum  
severissimus erat; in tantum, ut à nonnullis,  
eo nomine, imprudentiæ notaretur. To-  
tum illius corpus, nil nisi unicum vulnus e-  
rat, ob assiduam & inclementem sui  
ipsius diverberationem: huic horri-  
dum cilicium, variáque alia asperitatum  
genera adjungebat. Aures deinde maximis  
quibusque peccatoribus, sclestissimisque  
mortalibus confitentibus impigrè liben-  
terque accommodabat: quibus pœnæ loco  
parum aliquid & leve cùm imperaret, reli-  
quū sibi ipse sumebat explendum; ideoque  
non desinebat alios super alios excogita-  
re & usurpare, sine ulla misericordia, sui ex-  
cruiciandi modos & media. Fuit verò Pro-  
vincialis quidam Præpositus, qui ceteris af-  
fensus, nimium hunc rigorem judicaret,  
rectueretque, ne sibi ipse hac ratione vitam  
accideret, majusque DEI obsequium im-  
pediret, ob eximium illum fructum, quem  
monitis exemplique suo colligebat: quare  
imperavit, ut immodico illi fervori suo mo-  
deraretur. Obsequitur Præsidis imperio  
bo-

Bonus Pater; utpote in quo nihil erat voluntatis propriæ, quique pluris obedientiam faciebat quam vitam. istud tamen subjecit, DEVM nihilo-minus castigantem dexteram certò adhibitum, & quod de solito ipse rigore remitteret, cum fœnore aliis alibi doloribus sibi inferendis compensaturum: se verò, eo insuper habito, vitam prius abjectum, quam parendi studium. Non multò post tam acerbis incredibili-busque vesicæ, aliisque doloribus & morbis excruciali cœptus est; ut & aspicientibus misericordiam moveret, & omnis ille vitæ anteactæ rigor cruciatibus istis æquari nullo modo posset. Si adeò DeVS severè habuit religiosissimum hunc Virum, loco pœnitentiarum, quas ex ipsius DEI imperio reliquerat: numquid, qui sponte sua & voluntate propria easdem omittunt, potentem & justam ejusdem divinæ Majestatis manum, ignaviam istam vindicantem, meritissimò reformident?

Ingens porrò iste Mortificationis qua-

I 7

stus,

*g Petrus d'Oultreman in Catalogo Virorum Illustrium  
Societatis IESV pag. 273 & seqq, Bourghes. Societ. DEI  
Rati sacr. cap. 22.*

stus, quòd nos à pœnis eximat peccatorum; comparari nondum potest cum eo , quòd ab ipsa quoque nos culpa liberos reddat: præterquam enim, quòd præterita peccata expiat; impedit etiam futura. Est vero, quod culpam attinet & pœnam, dis crimen inter ea velut infinitum; quantum, scilicet , est inter hominem pœnum & vivum , inter esse & non esse. quantacumque enim sit poena aliqua, etiam si tanta , quæ par sit omnibus junctim Inferni cruciatibus ; mala tamen non est, si vel uni levissimæ culpæ comparetur.

Qui fit igitur, cùm has tam admirabiles vires habeat Mortificatio; quòd eam tam parvi faciamus ? cur nobis Devs eam in divinis literis non commendâasset ? Omnium sanè peccatorum unica radix est amor proprius , quam nulla salx æquè demetit, nulla vis perinde extirpat , atquè Mortificatio : neque cogitari culpa ulla potest , aut passionum nostrarum confusio perturbatióque , quin ex ejusdem Mortificationis defectu neglectuque pro-

proveniat. Peccatum enim quodvis ideo committitur; quia homo se-ipsum vincere, suæque voluntati contradicere non dicit. quare sicuti Mortificatio aliud nihil spectat, quam sui-ipsius victoriam, utque appetitiones rationi subjiciantur; ita eadem præmunit & armat nos adversus peccata: at sine ea, imbecilli & inermes sumus, à minima etiam tentatione expugnandi.

Plurimum adhæc Mortificatio valet ad gloriam virtutumque exercitium augendum: ecqui verò thesauri, quæve Indiae, ut sic dicam, gratiarum ac meritorum, ei pares reperiantur? Illa *margarita pretiosa*, & *thesaurus absconditus*<sup>h</sup> est, pro quo dare oportet universa, quæ habemus. Tantò nimirum aetius est meritum, quantò major est amor & pactum cum Deo, ex quo aliquid facimus; quantoque difficilius, magisque arduum est opus ipsum, quod facimus. Quare cùm tam præclarum sit facinus, tantoque illustris triumphus, sui-ipsius Victoria,

caritati

<sup>h</sup> Matth. 13, v. 44 & seqq.

caritati conjuncta , (quam nobilissimam esse necessum est ; quia qui se mortificat, plurimum laborat in eo, quod imprimis arduum est , naturæque inclinationi repugnans) actionem ex eâ promanantem amplissimi esse meriti, consequenter est agnoscendum.

Alius iterum ejusdem Abnegationis fructus est, singularis quædam, virtutes omnes exercendi , facilitas. quisquis enim se-ipsum frangere , & voluntatem suam in rebus perquam difficilibus assuevit edomare; in minoribus molestiæ nihil quidpiam experitur, nusquam offendit ; sed magna facilitate & alacritate, omnia transcurrit & superat. Terra nisi sariatur & runetur, copiosas numquam fruges effert; neque vitis, nisi tondeatur: eodem modo , ut bonorum operum fructus proferamus, desideria nostra circumcidere, pravosque affectus extirpare debemus.

Quanta , Devs bone ! pax est animæ, quando tumultus & inquietudo desideriorum nostrorum composita est; quando appetitui rectè cónvenit cum voluntate , & passio-

passiones subditæ, imperium admittunt rationis! quanta item concordia est inter eos, cum quibus vivit homo bene mortificatus, nemini gravis, omnibus carus, optimo sanctissimæ vitæ exemplo! Res hæc tam manifesta est, ut eam nec Philosophi ignoraverint; præsertim Stoici: qui tametsi Animæ non crederent immortalitatem; propter solam tamen vitæ hujus felicitatem, hoc est, ut quietè & jucundè secum ipsi, & cum aliis degerent; fortunas, opésque suas deseruerunt, & in summâ egestate, asperitatéque vitam traduxerunt: & quamvis verissimum sit, eos fide verâ, specialique IESV Christi gratiâ destitutos, quod quærebant, passionum nempe suarum moderationem, animæque felicitatem, non esse consecutos; negari tamen non potest, modum illius consequendæ optimum scivisse ipsos & docuisse. Vnum produco Marcum Tullium: *Tota, ait, Philosophorum vita, commentatio mortis est. nam quid aliud agimus, cum à voluptate, id est, à corpore; cum à re familiari, quæ est ministra & famula corporis; cum à republica; cum à negotio omni sevocamus animum? quid,*

in-

inquam, tum agimus, nisi animum ad se-ipsum  
advocamus, secum esse cogimus, maximèque  
à corpore abducimus? secernere autem à cor-  
pore animum, nil quidpiam aliud est, quāme-  
mori discere. quare hoc commentemur, mihi  
crede, disjungamusque nos à corporibus, id est,  
consuecamus mori. hoc &, dum erimus in ter-  
ris, erit illi cælesti vitæ simile; &, cùm illuc ex  
his vinculis emissi feremur, minùs turbabitur cur-  
sus animorum. Ita Platonis subscriptens Tullius;  
eadēmque ceterorum fuit sententia ju-  
diciūmque Philosophorum.

Maximè tamen ex omni virtutum nu-  
mero Orationem adiuvat Mortificatio:  
quia purgat à malis affectibus animam,  
qui ceteroqui rationi tenebras offun-  
dunt, eāmque occæcant, & oculos eripiunt,  
quibus divina contemplatur. Pellit omni-  
no hanc noctem & has tenebras Mortifica-  
tio. Quapropter si magni faceremus her-  
bam aliquam, aut lapillum, eā virtute præ-  
ditum, ut cæci oculis impositus, visum mox  
restitueret; ut surdi auribus adhibitus, audi-  
re eum faceret; ut muti admotus ori, ipfius  
lipp.

i Cis. Thse. qq. l. i, post medium.

linguam in verba articulata solveret; ut pectori applicitus cardiaci, eumdem subito sanaret: quanto, quæso, in pretio Mortificationem habere cónvenit, quæ non corporis, sed animi curat cæcitatem; quæ visum, non oculorum corruptibilem, sed rationis, purgat & illuminat; aurésque insuper aperit animæ, ut audiamus, *quid loquatur in nobis Dominus k;* linguam solvit, ut loqui cum ipsius Majestate sciamus; addítque gratiam labiis nostris, ut impetremus à DEO, quidquid petimus. Non est enim Oratio alia magis impetratoria, quām cui comes it Mortificatio; uti innumeris sacræ paginæ exemplis evadit manifestum. Præterea, qui non est mortificatus, tantum abest, ut ad cælestem lucem excipiendam idoneus sit; ut ne rationis quidem lumen in ipso queat elucere. Ad divinas ille motiones percipiendas prorsus ineptus est: immo nec ea capit, quæ ratio dicitur naturalis, vivitque non modò non vitam spiritualem, sed nec rationalem; adeoque ex homine in bestiam degenerat.

eam

k *Psal. 84, v. 9.*

eam ob rem Richardus à S. Victore bene notavit<sup>1</sup>; *Voluntatem nostram, numquam perfecto desiderio bonorum celestium inflammari posse; nec intellectum nostrum, rerum divinarum contemplatione plenè posse illustrari & purgari, nisi diligentes simus in reprimendis commodis & cupiditatibus corporis, etiam licitis & necessariis.* Tollit quoque Mortificatio illum animi dolorem, quo nostra nos excruciant desideria, judiciumque & mentem exutiunt pacatos ipsa nos quietosque reddit; ideoque Orationem plurimum adjuvat, quæ pacem animique tranquillitatem maximam exposcit.

Quid igitur in comparationem venire possit cum honore illo, quem adipiscitur homo verè mortificatus, (imago nempe expressa Christi crucifixi) & cum singulari commodo perfectæ imitationis Filii Dei? **Vita Servatoris nostri non sine causa fuit laboriosissima;** quamvis ad nos redimendos, dolores tam graves haudquam essent necessarii: verum cùm probè nōset infinita

<sup>1</sup> in lib. de Contemplat. apud Franciscum Arias Tr. de mortificatione p. I, c. I.

finita ex Mortificatione bona nobis even-  
tura; ad eam nos obligare voluit modo, quo  
potuit, efficacissimo, hoc est, exemplo suo  
prælucendo, propriumque Sanguinem no-  
bis & vitam suam donando: quod hac ejus  
admirabili industria, ad utilitatem nostram  
quærendam, quodammodo adigeremur.  
Estque hoc evidens omnino argumentum,  
eximiae Mortificationem esse præstantiae ac  
dignitatis; quod videamus, ipsum DEI Fi-  
lium, tantum fecisse & tulisse, ut eamdem  
nobis persuaderet: est item tanto major,  
intolerabiliorque ingratitudo nostra, Æter-  
næ Sapientiae consilia & doctrinam, San-  
guinem quoque & dolores ejusdem, tam  
parvi facientium & contemnentium.

Non est ergo cauſſæ quidquam, propter  
omnes illos, quos percensui, Mortificatio-  
nis fructus, cur quis admiretur, DEVUM tan-  
topere illam nobis inculcasse, unaque de-  
monstrasse, quantum ex ea capiat ipse vo-  
luptatis. Pro eo enim ac bonum nostrum  
infinitè desiderat, ingentesque ex Mortifi-  
catione colligi novit utilitates; oblatâ no-  
bis occasione ejus exercendæ, vehementer  
oble-

oblectatur: quod unicum Dei gaudium & beneplacitum, quantumcumque alia emolumēta abeſſent, ſufficere debet ad nos permovendos, ne abiea abhorreamus; ſed toto in illam animo incumbamus: præfertim, cùm ſine fundamento iſto Abnegationis voluntatis noſtræ, (quod aliud eſt incomparabile beneficium) diuinam implere nequeamus.

Etiamsi porrò tottantorūmque fructuū fœcunda parens & cauſa Mortificatio non eſſet; ſatis illi profecto amplius adhuc præmium relinqueretur, quod per eam, voluntatem noſtrā castigemus, & ulciscamuramorem proprium, qui nos toties perdidit, in tanta mala præcipitavit; immo in DEVMI pſum uſque adeò iniquius fuit, ac ſi illum occidiffet, Sancto Bernardo attente, cuius verba adſcribo: *Nunc autem eſt ipsum, quantum in ipſa eſt, DEVMI perimit Voluntas propria. Omnino enim velle, DEVMI peccata ſunt, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo, eum non eſſe DEVMI, que, quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut iuſtum eſſe, aut iuſipientem. Crudelis plane omnino*

## CAPUT XVIII.

213

omnino execranda malitia <sup>m</sup>, impudentiāque propriæ voluntatis , huc quoque progredientis, ut, cùm pessima sit, ipsi se Optimo & Immortali Deo opponat: nam, ut rectè advertit Sanctus Augustinus, de corde pravo loquens; *se justum vult videri*, *DEVM injustum* <sup>n</sup>. Nihil planè mali nobis accidit, quin illa damni nostri caput sit & doloris : quod etsi dictum à me iam sæpius, repetere tamen non desinam; quia tanti refert, ut plenè id recteque intelligamus. Sola Voluntas propria, caussa est peccatorum; atque una ipsa plus nobis nocet , quām omnes junctim inferi: cùm nulla sit vis Dæmonum, nisi ab illâ adjura, quæ nobis valeat incommodare. Illa salutein nostram turpiter prodit, & cum hostibus nostris conspirat in perniciem nostram, iisque nos tradit in probrosissimam servitutem. Ex eâdem nascentur cetera damna temporalia , & infortunia, calamitatésque tam multæ: nam eis vel negligentia suâ, vel eas tolerandi imperitiâ occasionem præbens, facit, ut eas molestè sentiamus:

*in S. Bern. serm. 3 de Resurrect. n. Aug. in Ps. 100. in v. 4.*

quod futurum nequaquam erat, si voluntas nostra se-ipsam negligeret & oblivisceretur, rationique ex toto subdita, cor suum non apponeret affligeretque rebus iis, à quibus pungitur; interque vivos & carentes, ut sic dicam, carbones ambularet. Nisi illa repugnaret; malum omnino nullum esset, quod cruciare nos posset & affligere. Illa ipsa denique Voluntas, tam multiplicium malorum, tormentorumque, quotquot reperiri possunt, genera, & classes omnes fabricatur & alit, tam in hac vitâ, quam alterâ, ad ipsum usque Infernum; cui suum quoque pabulum subministrat. Verum ut detrimenta tam varia sarciamus, atque justam à capitali Aduersario nostro pœnam expetamus; sedulò in nobis ipsis mortificandis elaboremus oportet. Addo illud ad extremum: ut justitiam hanc vindicativam, & de nostra voluntate supplicia, Deo & nobis ipsis tantopere debita, adeoque necessaria, ut, nisi ea assumamus in hac vita; palam, idque sine omni remedio, aut in Inferno, aut Purgatorio, olim sint adhibenda; illa, inquam, non solum exerceamus, verum

cavea-

## CAPUT XIX.

217

caveamus etiam, provideamusque, ne ea-  
dem Voluntas propria tantum nobis da-  
mni moliatur. Quanti non immunitatem  
illam & gratiam æstimaret quispiam, si aut  
nullum sibi paratum sciret Purgatorium &  
inferos; aut ex rerum natura, & hos & illud,  
arbitratuso, tollere posset & abrogare: at-  
qui hoc ipsum, quantum ad se attinet, mor-  
tificatione & abnegatione suæ quisque vo-  
luntatis potest efficere ; ut verè dixerit S.  
Bernardus°: CESSET VOLUNTAS PRO-  
PRIA, ET INFERNVS NON ERIT.

## CAPUT XIX.

*Gradus Mortificationis, necessarii,  
ad complendam ubique, & in omni-  
bus, voluntatem DEI.*

**N**ondum equidem mihi ipse satisfeci,  
quantumcumque Mortificationem  
collaudaverim ; magnum quippe operæ  
pretium facturus videor, si, quot illa gradus  
habeat, accuratiūs particulariusque percer-

K

seamz

O ubi supra. Plura de hac tota re, q[uod]o[rum] imbebit, docebunt  
se quos norav[imus] ad caput 15, lit. k.

seam: idque propterea, ut perfectionis suæ  
amans Anima sciat, unde incipere, & ubi  
pedem figere debeat in ea scala, per quam  
rectâ ascendat, perveniâtque ad amplexum  
dilecti sui Iesv, & cum eo crucifigatur, suâ  
voluntate, omnique proprietate penitus  
exuta, in omnibus DEI voluntatem exse-  
quendo, ejus beneplacito obedientissima  
usque ad mortem, & dulcissimam mortem  
**Crucis:** quæ etsi Christo Domino acciderit  
acerbissima; ipsa tamen ejus amaritudo &  
dolores condunt, melleamque reddunt o-  
mnem mortificationem nostram. Quocir-  
ca illud sedulò advertendum est, mortifica-  
tioni & propriæ voluntatis abnegationi in  
rebus omnibus locū esse oportere. Omni-  
bus, inquam; ne quidpiam limitari quis cre-  
dat aut excipi, sive parvum id fuerit, sive  
magnum. Generalis hæc est regula, nullam  
admittens exemptionem. Talis enim sit o-  
portet resignatio propriæque nuditas vo-  
luntatis, ut quamdiu aliquis homini adha-  
ret affectus ad ullam creaturam aut delecta-  
tionem, in omnibus sensibus & potentiis,  
in toto corpore & anima, in rebus spiritua-  
libus

## CAPUT XIX.

219

libus & divinis, adeoque in ipsa cura & solitudine Deo serviendi, penitus semetipsum, propriumque amorem exuat: nihil faciendo, nihil desiderando, nihil sibi imaginando, propter se ipsum gustumque & oblectationem propriam, quantumvis bonum foret; sed solum, ob beneplacitum divinum. Ista deinceps à nobis explicabuntur; ut finem eum, ad quem omnibus viribus contendendum est, intelligamus; &, si eumdem non assequamur, de tantâ, in re tanti momenti, quæque sola utilis nobis sit, negligentia erubescamus. Quamprimum verò seriò quis secum ipse statuerit, propriam voluntatem æternum nolle exequi, sed in omnibus se abnegare, solatio mox & suavitate admirabili perfundetur.

Primus porrò mortificationis hujus gradus jubet, bona omnia terrena deferere, & affectu iisdem renuntiare, quantum sua cujusque vitæ ratio permittit, & ad manus Dei obsequium futurum existimatur: immo jubet præterea, palam amplecti

K 2

nudi-

nuditatem & paupertatem Christi IESV, qui  
in Cruce moriens nudus fuit, ne suarum  
quidem vestium dominus, qui que ante il-  
lud tempus dixerat: *Vulpes foveas habent, &*  
*volucres cœli nidos; filius autem hominis non ha-*  
*bet, ubi caput reclinet*<sup>a</sup>. interius autem in ani-  
mo renuntiationem decet esse generalem,  
ita ut nullo erga rem quamquam creatura  
affectu feramur: quin & iis etiam ipsis, quæ  
omnino necessariæ sunt, sic afficiamus  
tamquam si coacti illas invitique ac repu-  
gnantes possideremus.

Alter gradus postulat, ut, postquam res o-  
mnes exteriores reliquerimus, sensum  
quoque oblectamenta deseramus, à qua-  
cumque cuiuscumque generis corporali  
delectatione abstinentio; atque, ut à volu-  
ptate omni eò remotiores simus, res con-  
trarias & quæ affligunt queramus. Quare  
sicuti cùm baculum incurvum, rectum fa-  
cere volumus, in alteram illum partem de-  
flectere solemus; ita ad delectationes sen-  
suales reformandas, sensus nostros ad ea  
trahere & inclinare debemus, quæ carni  
sunt

<sup>a</sup> Matth. 8, v. 20.

Sunt ingratiora, ad pœnitentias, scilicet, & asperitates, aliásque hujuscemodi res quæ sine strepitu commode, magnóque cum meritorum incremento adhiberi possunt; eò quod in earum usurpatione, propria superetur voluntas. Nam ut est præclarè scriptum à devotissimo illo & in vita spirituali versatissimo Lætiensium Abate; *Nihil DEO gratius offerri potest resignatione propriæ voluntatis: quia homini nihil est charius ipsa voluntate, & arbitrii libertate.* Quando quis propter DEV M sensualitati voluntatique propriæ, etiam in rebus minimis, reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi DEO magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret. Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans diceret sibi ipsi, *Dimitte eum propter DEV M;* alter verò nihil præmeditatus, carperet florem: iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret; sed ille propter DEV M dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distan-*tia cœli à terra.* Quod si protantilla mortificatio-*ne DEV S tam grandem mercedem restituet,*

quantam illis redditurus est, qui se & omnia pro  
ejus amore contemnunt atque relinquunt? Asce-  
ta ergo frequenter dicat DEO intra se: Propter  
te, Domine, nolo illud videre; cum necesse non  
sit, ut ipsum videam: propter te nolo illud  
audire, nolo illud gustare, nolo illud loqui,  
nolo illud tangere. Ipse DEV M in fundo  
animaæ sue perfectè sentire non poterit,  
nisi in eo moriatur quidquid inordinatum  
est.<sup>b</sup>

Ex omnibus tamen sensibus, gustatus  
potissimum est mortificandus; quoniam ex  
illius præcipue moderatione dependet Ca-  
stitas: cui tuendæ & conservandæ multò  
amplius prodest abstinentia, quam asperita-  
tes aliae. Gustus vero mortificatio non tam  
in quantitate, quam qualitate ciborum  
consistit. Abbas Ioannes, discipulus San-  
cti Odonis, ad hoc exhortans, memora-  
bilem istam pronuntiavit sententiam<sup>c</sup>: Ne-

mo

<sup>b</sup> Lud. Blofius Instit. Spirit. cap. 2, §. 1, mihi pag. 304.  
Videri queunt Ant. Molina tr. i de orat. cap. 15; Iac. Al-  
var. To. 2, lib. 2, part. 1, cap. 16; Franc. Arias de Mer-  
sis, cap. 4. <sup>c</sup> Vita S. Odonis lib. 3, cap. 2.

mo vero opposat nobis Eliam, carnes comedentem. Quod si quis id facit, cogitet famem ejus temporis, similique advertat, à corvis illas carnes allatas Prophetæ, qui non raro Daemonum typum gerunt. Tale itaque edulium tales habuit ministros, qui illud & vesperi & manè afferrent. Cum autem pane solo & aqua vicitavit, Angelum administrum idem Propheta habuit<sup>c</sup>, tantumque accepit virium, ut quadraginta dierum posset in eiam tolerare<sup>f</sup>. Verum-tamen neque in vilioribus cibis, modo aut copia licet excedere. Nec enim delicata Phasidis ales, sed triste pomum, totius humani generis ruinæ caussa fuit<sup>g</sup>. Esau quoque non ob ullas ciborum lautitias, sed solum lentis edulium reprobatus est<sup>h</sup>: & populus Israëliticus propter intemperantem aquæ, non vini, cupiditatem murmuravit contra Moysen.<sup>i</sup>

Tertius gradus est mortificatio interior: cum quis nimirum desideria omnia gustusque & delectationes spiritus relinquat,

K 4

non

<sup>d</sup> 3 Reg. 17, v. 6. <sup>e</sup> 3 Reg. 19, v. 5 & seqq. <sup>f</sup> apud Sur. 10. 6, 18 Novemb. <sup>g</sup> Genes. cap. 3. <sup>h</sup> Genes. 25 fin. Hebr. 12, v. 37. <sup>i</sup> Exod. 17, v. 3.

non concupiscendo rem creatam ullam,  
sed solum Creatorem, neque exteriorem,  
neque interiorem delectationem quaeren-  
do; quasi purum nihil se reputando, sine o-  
mni ad suam commoditatem gustumque  
respectu, prorsus ac si in mundo non esset;  
sunditus è corde extirpando universum a-  
morem proprium, qui omnium malorum  
**ix** est, & clavis primaria, Diabolo ani-  
mam nostram perviam faciens, præcipu-  
umque quo in nostram perniciem & con-  
demnationem utitur, instrumentum. Hæc  
Mortificatio holocaustum est, acceptissi-  
mumque omnium quæ à nobis DEO offer-  
ri queunt sacrificium: quoniam hic non ex  
parte aliqua, uti in aliis, mortificamur; sed  
ex toto plenè nos integrèque DEO dedica-  
mus, & non nostra dumtaxat, sed nosmet-  
ipsos offerimus. Quapropter valdè consul-  
tum est, ut diligenter affectus nostros, quā-  
rumvis bonos, examinemus, observemus  
que accuratè, quò nos trahant ac impellant,  
& decretum nobis ipsis statuamus legém-  
que quamdam universalem, desideria ad u-  
num omnia, nisi purissimè à DEO profecta,  
exclu-

excludentem & prohibentem : propterea  
quod ex illis inquieti pectoris agitatio, tu-  
multusque omnis & intemperiæ, molestiæ-  
que animæ oriantur ; quando è contrario,  
qui desideria appetitionesque suas refrena-  
vit, ultraque terminos exire prohibuit, so-  
lus cor suum possidet, animæ, pacisque in-  
terioris absolutus Dominus. Et sanè qui di-  
vinæ voluntati suam sincerè conformat, ne-  
que aliud quidquam vult, quam quod vult  
Deus, non habet ille quod velit aliud; quia  
jam tum habet quidquid vult, illud nempe  
ipsum, quod vult Deus: tantumque à divinâ  
voluntate dissidet & separatur , quantum  
extra eam velle incipit: usque adeò ut, si ve-  
rè beneplacito divino conformis est, eique  
penitus acquiescit , nihil ultra petere & de-  
siderare valeat, in statu felicissimo constitu-  
tus , quippe compos factus omnium suo-  
rum votorum. Quod si talis infirmetur, li-  
benter infirmatur; quia id vult Deus, à quo  
ipse nihil vult diversum. Si affligatur, humi-  
lietur, egeat; sic item fieri desiderat, ejusque  
semper desideria implentur, quæ non sunt  
alia, quam ut fiat voluntas DEI: id quod rei-

K 5

psa,

psa , quæ singularis est eximiâque felicitas, experitur. Et quid , obsecro , in hac vita vel cogitando optabilius lætiūs que fingi queat , quâm si cui homini omnia ex voto suo semper eveniant ? Ejusmodi felicitatem , immo majorem etiam obtinet , quicumque nihil vult , præterquam ea quæ vult Devs. quod qui assecutus est , ultra aliquid illum petere , aut de futuris sollicitum esse nihil necessum : in eo uno solùm elaboret , ut bona sua deliciâsque conservet contineârque , & pace illa animi , bonorûmque , quæ expedit , omnium possessione beatus , iisdem securè perfruatur.

Hac via pertingit anima ad verum Dei amorem , dum nullam spectat delectationem propriam , sed solam executionem voluntatis divinæ ; & non tam de Dei donis gaudet , quâm de ipso met Deo : atque adeò vehementius optat fieri , quod vult Devs , quâm quod sibi sapit , etiam in rebus divinis . Quam item Doctor quidam prudenter animadver-

## CAPUT XIX.

227

vertitk, Dari quemdam DEI amorem affectuosum , qui non raro ei insit , qui minus amat, minusque est perfectus. Sæpe enim in divinam ferimur pulcritudinem, bonitatem , magnitudinem , aliasque perfectiones, quas in DEO novimus, ob gustum ac voluptatem, quam inde percipimus: verum non id amamus, quod a mandum est in DEO, ipsam, nimirum, DEI voluntatem; sed ab ea potius refugimus. Si enim voluptatem istam DEVS auferat, nosque affligat; continuo moeremus , & cadi mus animo : quod certissimum est clarissimumque argumentum, non tam DEVUM à nobis, quam nos ipsos amari. DEVUM igitur perinde hujusmodi amore amamus, ac hominem eleganter vestitum; cuius vestis serica animum nostrum trahit, sed voluntas displiceret, quoties aliquam nobis ad fert molestiam: ita cum DEO agimus. Dulcedinis illud, quod sentimus , & suavita-

K 6

tem

k Vida Blosum Institut. spirit. cap. 7; Spec. spirit. cap. 13; Igo  
sobum Alvarez de Paz To. 3, lib. 4, pars. 3, cap. 6; Lgo-  
donicum de Ponte in Cantica lib. 1, exhortat. 9, §. 2, ac libo.  
2, exhort. 17, §. 1; & Franciscum Artas de orat. mentali  
parte 3, cap. 1 & seqq.

tem, quam gustamus, ab ipso ardenter experimus: per placet nobis & arridet illa veluti species exterior, quam spiritali acie intruemur; sed voluntatem ejus, quam unam solamque verus amor respicit, non diligimus. Cave tibi persuadeas, tantum te amare DEVUM, quantum ab eo delectaris; aut quantum tibi, cum devotione animus incandescit, amare vidēris: sed quantum virtutis habueris, quantumque caritatis, & obedientiae erga divina præcepta. his enim verus & fidus in DEVUM amor continetur. Dulcis ista affectio, à sensu esse potest, & plena fraudibus, ac per sepe non à DEI gratia proficiscitur, sed ab hominis natura; à carne, non à spiritu: & contingit aliquando inflammari animum, ac devotione affici in eo, quod suave ipsi est, non autem in eo, quod ad profectum utile. Devotus es, quoniam hoc illudve successit ex animo, dicisque: Benedictus Deus, qui ita dispositus! qui optimam hanc opportunitatem dedit, quā ipsi pacatissimo animo serviam! qui in hunc optatissimæ quietis portum me abduxit! hic nemo me perturbat: oro cum luet, &

## CAPUT XIX.

229

bet, & cùm iubet dormio: quod placet animo meo, id finor agere: pax est mihi. tum verò , cùm dulcedinem illam & pacatum ordinem Dei tollit, cùm tentationes immittit, & necessitates, curas, & cruces: cùm affligit infamiā, judiciis, periculis, ægro es animo, & tædio afficeris. Vides, mi frater, quomodo delectetur homo minori bono, quod in istâ voluptate est, & non majori ac utiliori , quod rebus adversis continetur: adeò, ut præsentiam Dei, & ejus pulcritudinem amet ob gaudium, quod inde percipit; non verò ejus voluntatem, quæ crucem offert & laborem. Circa hanc devotionem errabant omnes Christi Discipuli: voluptatis enim sensum in ipso quærebant, neglecto eo quod decebat, & præcipue quærendum erat. atque hinc, cùm abitum ad cælos, ipsis sanè tristem, pararet, objecit, se ab eis non amari: *Si diligeretis me, inquit, gaudeketis utique , quia vado ad Patrem<sup>1</sup>*, etiam si gaudiis illis privandi sitis, quæ ex humanitate mea hactenus participâstis: at non gaudetis, quia non diligitis. *Quid verò hoc est,*

K. 7.

mi

1 John. 14, v. 28.

mi Domine? en Apostoli tui facti sunt jam  
velut mare quoddam lacrimarum, vitâque  
ipsâ malunt, quam jucundissimo tui adspe-  
ctu privari: & tu tamen negas, te ab eis a-  
mari. O quam multi credunt, lacrimas se  
DEI caussâ fundere, dum suâ ipsorum caus-  
â fundunt! quot existimant, DEVUM à se a-  
mari & quæri, dum non nisi se-ipsos a-  
mant & quærunt! Siquis intueatur vultus  
Apostolicos, atque oculos conversos in  
fontes lacrimarum, quibus ubertim so-  
lum irrigatur; si tristia corda contem-  
pletur, Christi IESV desiderio saucia, ec-  
quid is judicabit aliud, quam intimè abi-  
psis DEVUM amari? nec aliud omnino i-  
psi judicant, suæ singuli conscientiæ te-  
stimonio confisi: & tamen à summâ Ve-  
ritate audiunt, ne credant, verum sui a-  
morem affectionibus istiusmodi constare,  
aut lacrimis, aut sensu aliquo perituræ sua-  
vitatis, sed conformitate cum voluntate  
sua, & vitâ ad hujus amissim exactâ; at-  
que ut de eo magis gaudeant quod vult  
Devs, etiam cùm subtrahit se ipsum, quam  
de eo, quo hilarescunt & delectantur ipsi.

Quod

Quod si his de tali discessu Filii DEI gaudendum fuit, qui justissima doloris materia esse videbatur; quomodo conqueretur, qui diligit IESVM Christum, si honoribus hic destituatur, ac commodis spiritualibus & temporalibus, quamdiu salva ipsi & integra manet expletio divinæ voluntatis? O bone DEVS, quām multa sunt mala & falsa, quæ boni nobis & veri specie illudunt! quām multa dicuntur spiritualia, quæ merè sunt carnalia! Exemplo sit Sanctus Petrus. Vide mihi illum, ubi mortem suam & opprobria Christus proponit, atque audi dicentem: *Absit à te, Domine; non erit tibi hoc m.* Quis non dolorem hunc, amoris tribuat vehementiæ? at nihil erat nisi caro; neque aliud propterea à Domino responsum accepit, quām quod datur Cacodæmoni: *Vade post me Satanæ;* quæ vox accusatōrē, adversarium, & divinorum operum Momū significat. Si ex carnis prudentiâ, Petri cōsilium æstimes, justissimum jurabis esse & utilissimum; crucem & mortem ab innocentे remove-re: Sapientia tamen Aeterna Satanam ipsum

ap-

in Matth. 16, v. 22.

appellat, &c. Non sapis, inquit, ea quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum n<sup>o</sup>; nec amorem hunc iudicat, sed odium, quo vult non acceptari crucem, nec bibi calicem, quem pro salute humanae gentis exauriendum propinabat Pater amantissimus. Idem Petrus valde amare, videri tunc quoque poterat, quando Christi in transfiguratione sua gloriosi societatem affectabat; re autem verâ se-ipsum amabat: Dominum enim suum avebat videre indutū decore & gloria, non doloribus crucis miserrime afflictum, & saturatum opprobriis. Nulla cogitari potest major pestis generis humani, nec quidquam bonis animæ magis adversum, nec certior perditionis occasio, quam falsi isti amores: quibus fit, ut res adeò viles in maximo sint pretio, & planæ videantur viæ, quæ exitus habent tam periculosos & existiales. Insanus videbitur, & meritò, si quis neglecto auro, & vero pretio, vitri fragmēta colligat, quasi horum splendore magnas possessiones emiturus: fœdius tamen & periculosius insanit, qui negligit id, quod verè & præ-

*¶ ibidem v. 23.*

& præcipuè sacra docet Scriptura: nimirum, ut DEVS, quomodo decer, colatur atque ametur; ut vera sit & solida pœnitentia nostra, ac detestatio horrorque peccatorum; ut corde mundo gustemus divina mysteria; ut caritas nostra multum ardeat, illique ex æquo respondeat mortificatio. fœdius, inquam, insanit, qui de his talibus nihil laborat, nūgis contentus & fabulis, rebusque male intellectis, ac totus puerilibus delectatiunculis, tegumentis vulnerum suorum ac morborum, imaginationibus, somniis, phantasiis, vanitatibus, & reculis, quæ præter falsam speciem habent nihil, stulte occupatur. Quæ insania hòc etiam major est, quod qui consolationes suas in rebus sacris eo modo querunt, cùm à viro quopiam istarum fraudum gnaro admonentur, recta consilia contemnunt, magistrisque alios querunt, qui infelicis ipsorum vitæ laudatores sint & confortes. Extremum hoc calamitatis genus jam olim Sanctus nobis Paullus prædixit: *Erit enim tempus, ait, cùm sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros,*

gistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur<sup>o</sup>, quas utique à Magistris istis blandas oppidò & speciosas addiscent; ut à recto tutoque itinere seducti, sola & vanâ spe prosperi exitus pascantur, & decipiuntur. nam sine vera abnegatione propriæ voluntatis, quantumlibet ab humo elati in aërem ferantur, qualecumque cælestium sibi rerum species objici asseverent, securi numquam erunt, numquam compotes sinceræ adversus DĒVM caritatis; in cuius gratiam, quidquid terram sapit acterenia desideria, ex animo penitus est elevendum. quod nisi fiat, de omni illa facta virtute & sanctitate fidenter pronuntiabo illud Symmachus: *Aërius bracteæ fucus est, ahs picta nebula.*

<sup>o</sup> 1 Timoth. 4, v. 3 & 4. p libro 1, epist. 26; servile obseruavi.

## CAPUT XX.

*Quanti referat, ad DEI voluntatem implendam, sua mortificare desideria.*

**H**Æc desideriorum mortificatio summi est momenti: quoniam sine ea, ut dixi, neque animæ pacem tranquillitatēm que obtinere quis poterit, neque suam cum divina voluntate perfecṭe conformatre. præterquam quòd abhorrere deberemus ab re ulla expertenda; cùm, quid nobis expedit, prorsus ignoremus. Fieri enim aliquando potest, ut ipsum illud, quod bono fine, in commodum nostrum & DEI obsequium desideramus, nobis in primis noxiū sit. Soli Deo notum est, quid nobis conveniat: magisque id vult quam nos ipsi, & solus ipse dare illud potest. Illius itaque nos solius manibus committamus, ipsique innitamur oportet, ejus bonā voluntate & amore multò lætiores, quam amore proprio;

à quo

à quo röties decepti sumus. Devs autem si-  
delis nobis semper fuit, & semper erit: po-  
tiúsque ipsi nos abominabimur & oderi-  
mus, quàm ut Devs, quas condidit, crea-  
turas averseatur. Dari mihi velim eum ho-  
minem ex omni hominum numero, qui  
maximè se-ipsum dilexerit, optimèque sibi  
voluerit; neminem tamen reperiemus, qui  
in sui gratiam fecerit, quod pro nobis & sa-  
lute nostra fecit tulitque Devs. Cujus rei  
caussa est, quòd commodi utilitatísque no-  
stræ minùs quàm ipse studiosi simus. Ex al-  
tera etiam parte ignoramus, quid nobis  
prosit, neque ad id consequendum faculta-  
tis satis habemus: quorum contrà utrum-  
que in DEO reperitur. Quare decet, ut cu-  
ras omnes solitudinémque abjiciamus, a-  
morem proprium omnibus viribus suis ex-  
spoliemus, desideriáque nostra circumci-  
damus.

Quod solum licet sufficiat ad nos permo-  
vendos, ut æternum silentium omnibus  
cordis nostri appetitionibus imponamus,  
semelque ac simul, destinatione æternâ, vo-  
luntatem nostram severè constringamus,

dili-

diligenterque obsignemus, ne deinceps extra se-ipsam ullatenus abeat, inque creatarum rerum desideria effundatur: maximo-  
perè tamen hūc conduceat, rei, quam expe-  
timus, & nostram ipsorum, nihil merenti-  
um, summam vilitatem, ipsiusque adeò de-  
siderii certissimum detrimentum seriò at-  
tentéque considerare. quoniam ex una par-  
te res vitæ hujus tam contemtæ sunt & vi-  
les, immo nihil; ut verè ideo solum oculos  
illis adjicere dignari deberemus: ex alte-  
ra verò ipsis nos tam abjecti & mali, adeò  
que propter peccata nostra beneficio omni  
indigni sumus; ut, etiamsi res istæ magnæ  
in se-ipsis forent, ipsas nihilo-minus desi-  
derare, præsumere nullo modo oporteret:  
sed contrà existimare, nihil toto orbe ab-  
surdius esse posse, quam ut res usque adeò  
vili, per summam impudentiam, ad hono-  
rem, oblectationem, aut aliud quidquam  
audeat aspirare. Tametsi verò & quæ expe-  
timus, & nos ipsi revera magni essemus, ad-  
huc tamen tantum est illud, quod deside-  
ria nostra comitatur, dispendium; ut vel eò  
solum ne nisi quidem illorum indulgere &

con-

consentire debeamus : malum etenim da-  
mnūmque quod nobis inferunt , fastidi-  
um quod creant, curæque, molestiæ, for-  
midines, & tormenta , quibus nos excruci-  
ciant , cum omnium Mundi regnorum  
possessione comparari non merentur. Id  
quod etiam in desideriis rerum sanctarum  
& spiritualium , uti solitudinis, orationis  
prolixioris , ipsoque adeò pro Deo ipsius-  
que gloria patienti desiderio, videre licet.  
Nam si nimia sint, atque ex amore proprio  
inordinato procedant ; anxietates , an-  
gustias, tristitiam & inquietudinem exci-  
tare solent , pacem animæ disturbando:  
eamque ob caussam Sancti & Spirituales  
viri , ea ipsa moderanda, & cum divi-  
na voluntate conformanda esse admo-  
nent. Iam verò si ipsarum rerum adeò  
sanctorum cupiditates tantopere nocere  
possunt: quantum rerum de se- ipsis maxi-  
mè noxiarum, uti temporalium & cadu-  
carum, desideria obfutura credimus?

Plurimum sanè ad hoc consequendum  
expedit, rerum cognitionem habere non  
conformem apprehensioni judicioque de-

pia-

pravato mortalium, sed secundum ipsam  
veritatem, & doctrinam legemque Evangelicam: earumdem substantiam penetrando,  
certoque nobis persuadendo, honorem,  
voluptates, & dvitias minimè esse id  
quod videntur; non esse vera bona, ut istultus  
Mundus praedicat, verum merissimam  
vanitatem, & inane Nihil. Ac licet boni  
quoque nomine titulumque ipsis tribuamus;  
mala tamen potius dici merentur, ob in-  
gentia, quæ ab iis accipimus, detrimenta:  
malos enim nos faciunt, judicium adi-  
munt, in virtutis via impediunt, peccatis oc-  
casione præbent, inque incommoda &  
miserias vitæ hujus præcipitant: quod nec i-  
psi Gentiles ignorare potuerunt. Ecquis igitur,  
hæc vera esse sentiens, fucata ista bona  
desiderare poterit? aut si adhuc desideret,  
non video equidem, quæ inconstantia de-  
mentiaque major queat excogitari. Nam si  
omnia illa, pulvis ejus judicio sunt & vani-  
tas; quæ esse stultitia manifestior potest,  
quam ut quis propter terræ pauxillum, sine  
ulla spe alicujus emolumenti, se affligat,  
cruciet, fatigetur aut de eo, quod in rerum  
natu-

natura non extet, uti fictitiâ Chimærâ, multum solicitéque laboret? Quòd si in malorum illa classe reputamus, résque, uti verè sunt, venenosas atque pestilentes; quâ tandem ratione, qui se ipse amat vivereque exceptat, veneno & aconito (quod et si exiguum, nocet tamen) pascere ac nutrire se vel le poterit?

Si jam consideremus non vilitatem modi rerum harum, qualésque ex natura sua sint, sed cum bonis insuper æternis, quæ omnimum ad illas affectum amittimus, comparemus; sine dubio, etiamsi omnino maximæ essent, momento tamen temporis evanescerent, haud aliter quam stellæ solent præsente Sole. Ecquis nisi insipiens, præ nobilissimo thesauro, stercoris aliquid eligat? Eodem modo qui Dei gratiam æstimat résque æternas, caducas amare desinet. Sanctus Patriarcha noster Ignatius cælum suspiciens, animumque ad Deum attollens cum suspirio dicebat: *Heu! quam sorbet mihi terra, cum cælum aspicio!* Sancto quoque Abbatii Silvano, ab oratione rede-

*Ribadeneira lib. 1 Vita, cap. 2.*

unti, tam vilia apparebant universa, ut, ne ea  
videre cogeretur, faciem capitio operaret,  
diceretque: *Quid necesse est videre lumen istud  
temporale, in quo nihil est utile?*<sup>b</sup>

Huc præterea magnopere conducit pra-  
etica sui ipsius cognitio; ut perfectè homo  
intelligat, quod ex se Nihil sit, hòcque ipso  
Nihili nomine prouersus indignus: quia tan-  
tò minor est Nihilo; immo, ut propriè lo-  
quar, tantò pejor, in quantum & quoties  
peccavit. sìcque existimare debet, super-  
bum etiam-nūm & splendidūm nōmen  
esse, si pulvis, lutum, vermis, & fantes ap-  
pelletur; cùm hæc saltēt̄ sint aliquid, a-  
fūmque quemdam suum habeant & qua-  
lēcumque commoditatē. verūm ho-  
mo per peccata minùs est quām Nihil, inc-  
ptus ad alia omnia, nisi quod merissimum  
sit venenum, quo se ipse consumit, rotūm-  
que mundūm suis inficit peccatis: ob quæ,  
nisi infinita ejus misericordia obstaret, à  
Deo in nihilum redigendus esset. Qui-  
cumque sincerè & verè ita de se-ipsō, ut  
par est, sentire didicerit, non tantū ab o-

L

mag

S. Pelag. libell. 3, n. 15.

mni honoris cupiditate remotus erit; verum etiam, si rem tam abjectam coli ac honorari videat, longè omnium, quæ fieri possunt, iniquissimum id esse maximèque rationi adversum, judicabit. Idem censebit de rebus jucundis sibi que commodis: nempe, eas sibi non deberi, amplas nimis esse universas & honorificas, sibi que superflue, utpote ob peccata sua aliud non promerenti, quām supplicia iis ipsis, quæ mali apud inferos Dæmones perferunt, graviora. Idem ille haudquaque sibi satisfaciens, si nihil penitus in hoc orbe desideret, sed existimando id quod est verissimum, indecorum scilicet, & contra omnem rationem esse, ut quæ res alia omnia merentur, ea honoretur benèque habeatur; honores coimmunitatesque subterfugiet & spernabitur, quæque illis contraria sunt, hoc est, omnino dām sui humiliationem & incommoditatem studiosè consequabitur; adeòque sibi ipsi perpetuò eliger quæ deteriora sunt ac ignobiliora; & in rebus honorificis ac jucundis, quas declinare non potest, perinde se geret, uti ad eas necessitate

CQ27

coactus: quæque ex earum possessione haberi solent delectationes, ab eis omnino abstinebit. Ex hac enim desideriorum abnegatione insignis sequetur indifferentia ad omnia ea, quæ vult Devs, & gustus interioris absolutissima mortificatio: nam qui rem absentem non desiderat, ex eâdem præsente nullam admodum singularem capit voluptatem.

Hæc sui ipsius alienatio, desideriorumque & gustuum omnium integra mortificatio, non solum in rebus ex se malis, aut indifferentibus, quales sunt vita & mors, sanitas & ægritudo, dolor & voluptas, honor & humiliatio, paupertas & opes, scientia & inscita, locum habere exercerique debet: verum pateat quoque oportet, sèque porrigit ad res sanctas & spirituales, relegando ab iis amorem proprium, sub sanctitatis velo, facile se abscondentem, veluti sub consolationibus deliciisque spiritualibus, devozione & lacrymis: quas non decet aestimare aut appetere, nisi solum ut Deo placeamus. Immo perfectæ cumulataeque virtutis

L 2 ho

homines pudore suffunduntur, quoties i-  
stiusmodi solatiis, quæ Incipientium sci-  
unt esse propria, perfunduntur: uva siqui-  
dem aut pomum, quæ puerum aliquem  
oblestant, sæpe viro parùm grata accidunt;  
& vita præsens non deliciarum est tempus  
ac quietis, sed laboris & dolorum. Virtus  
enim vera charitásque, in suavitate ista, de-  
lectationibúsque & lacrimis, quæ amorem  
proprium frequenter habent auctorem, si-  
ta non est; quoniam iis se rebus indignum  
quisque debet aestimare, & propter eas hu-  
miliare: tum quòd hæc talia solatia multis  
supra meritum communicentur; tum quòd  
Devs secum agat, uti cum tenero adhuc in  
virtutibus & infante. his item consolatio-  
nibus eum solam in finem uti debet, ob  
quem Devs illas indulxit; ut scilicet tantò  
**expeditiùs alactiùsque** progrediatur. Ape-  
rit quippe hac ratione benignitas Numinis  
& æquat asperiorem viam, hominē inque  
parat ei tempori, quo solatiis istiusmodi ca-  
rebit, ne languescat animū inque despon-  
deat; sed Deo suis sumtibus servire, & ab-  
que hoc genus mercede, ejusdem volunta-  
tem

rem implere consuecat. Et verò quò quis se longius ab his rebus omnibus se junget, eásque minùs aestimabit; hòc faciliùs cum DEO conjugetur: cui apprimè se probat, internas spiritualésque delicias deserend; quæ ipsæ quoque gravibus periculis expositæ sunt, si ab iis, non secundùm DEI voluntatem, impelli nos ducique permittamus.

Aptissimum ad hanc, de qua agimus, mortificationem exemplum narrat religiosissimus devotissimusque Scriptor, Ioannes Thaulerus, in hunc modum: *DEVS*, inquit, *cuidam Amico suo revelabat per internam illuminationem omnes Scripturæ sacræ sensus: edocebatque, quomodo viverent eo tempore homines, & ut aliquorum opera coram hominibus grandia apparerent, quæ coram DEO nulla erant; aliquorum verò quæ pro nihilo ducebantur opera, magna apud DEV M essent. Sed & alia mira DEV S omnipotens interdum illi aperiebat. Ceterum is rogabat Dominum, dicens: O benignissime DEV S, ego nec hæc, nec illa volo: aufer, obsecro, illa à me; quia multum me cruciant. Subtraxit itaque DEV S præfata omnia ab illo, &*

per quinquennium, absque consolatione eum in magnis temptationibus, angustiis, atque calamitatibus dereliquit. Contigit autem aliquando, ut vehementer fleret: & cum duo Angeli eum consolari vellent, dixit ad Dominum: O Domine DEVS meus, ego nullam consolationem peto: sed abundè hoc sufficit mihi, ut locum illum, ubi tu ipse habitas, in anima mea custodire possim, ne quid aliud in eum ingrediatur, aut in eo appareat. Post quæ verba, subito ipsum lux inefabilis circumfulsit: & Dominus dicens illi, Ego ostendam tibi omne bonum <sup>c</sup>, feliciter eum in Divinitatis sue abyssum immersit.<sup>d</sup>

Vel hinc apparet, necessarium esse, ut etiam in bonis desideriis cælestib[us]que illustrationibus nos abnegemus, neque in illis nos ipsos quæramus: frequenter quippe accedit, ut, quia hæc talia cum amore aliquo proprio augere studemus, industriâ judicioque nostro præfidentes; Deo se subducendi, & solatia ista imminuendi, ansam præbeamus. Quare decet cum singulari illa

<sup>c</sup> Exodi 33, v. 19. <sup>d</sup> Ita Blosius Inst. Spirit. Appendix, qua desumpta ex libris Thaulert, aliorū mque Patrum, cap. 10 mihi pag. 332. Simile quid narrat Thaul. Dom. 5 Trinit.

illa humilitate recipiamus , fateamurque nullam nos in ipsis partem habere ; & ut si- ne sensu delectationis propriæ , aliud nihil nisi solam divinam voluntatem intueamur , in eam penitissimè resignati , omnia ad DE- VM referendo , voluntatemque & liberta- tem omnem penitus exuendo ; nullibi com- moditate gustumque nostrum venando , verùm indignos nos sentiendo , quos vel a- spectu , nedium favore & deliciis suis , digne- tur DEVS .

Illud ipsum in aliis quoque melioribus sanctioribusque desideriis observandum est , uti cùm quis diutiùs orare cupit , plura pati , se ipsum vincere ; omnem amorem proprium , qui etiam his tali- bus cum aliqua inordinatione permisce- tur , mortificando : quia propriam face- re voluntatem , non est aptum & conveni- ens medium ad eidem voluntati renun- tiandum ; & dedecet rem nos ullam deside- rare , nisi quo illam modo desiderari vult DEVS ; cuius Majestati gratissimum omni- um est , semper & ubique desiderare , ut sola ejus divina voluntas impleatur . Quod cùm

facimus, nullam desideria afferunt inquietudinem, cruciatumve acerbiorem; aut si quem illa secum dolorem trahant, ei permissa est ingens dulcedo, maximaque in Dei manus resignatio, hominis totum se Divinæ Providentiæ permittentis, inque illius gremio & sinu, quasi infantuli ad amantissimæ matris suæ ubera, suavissime securissimeque quiescentis.

## CAPUT XXI.

*De Intentionis puritate, ad divine voluntatis impletionem necessariâ.*

**P**Osteaquam se quis ipsum deseruit & reliquit, cunctaque desideria sua missa faciens voluntati propriæ omnino modè renuntiavit; rectissimam jam ingressus est viam, ad omnes actiones suas Creatori suo dedicandas, ejusque sanctissimam ubique voluntatem sincera puraque intentione adimplendam: quam revera constanter servare numquam poterit, quem proprius amor vincitum tenet atque impeditum. *Primo* quidem: quia sumnam experietur difficultatem

## CAPUT XXI.

249

tem, in operibus suis propter solam DEI voluntatem exsequendis, qui propriam voluntatem retinet divinæque resistit. atque ut demus, unum illum alterumve opus DEI amore facere; mille alia, non solum quæ ex se mala sint supplicioque digna, verum ipsa adeò opera sancta & bona, faciet impulsu amoris proprii, eaque sinistrâ intentione omnino corruptet, ita ut pœnam potius quam gloriam mereantur: augcertè illa adulterabit vitiabitque, Intentiōnem aliquam minus bonam admiscendo, quā operis meritum vel imminuat, vel impediatur.

Secundò. Etiam si divinam ille voluntatem exequi cupiat, bono id tamen commodoque suo præstabat numquam, propter insignem calliditatem dolosque amoris proprii; qui res omnes pro libitu suo depingendo, suisque semper utilitatibus serviendo, eidem persuadebit, multa ad DEI obsequium pertinere, quæ nullo modo pertinent: atque ita, quia aliquando aperte repugnat amor hic proprius, aliquando occulte nos fallit & mentitur; numquam ex

L 5 ullo

ullo opere nostro fructum aliquem capiemus , nisi inactemus inimicum hunc tam familiarem & domesticum , qui tantò nobis est perniciosior , quantò benevolentiorem se fingit , nostrorumque commodorum studiosiorem .

Et verò , si aliud nullum emolumen tum , mortificationem propriæque voluntatis renuntiationem consequeretur , quàm quòd ab animâ obstacula removeat & nebulas , ut veritate agnoscamus , actiones que nostras pura intentione , propter solum Dei amorem , ejusque justissimæ , sanctissimæ , nobisque utilissimæ voluntatis adimpletionem , perficiamus ; adhuc tamen omnis labor & industria nostra in hoc collocata , ipsèque adeò sanguis propterea profusus , rectè utiliterque impenderentur .

Pura intentione facere quidquid facimus , res una est omnium quæ esse possunt æquissima , Deoque imprimis debita . Quemadmodum enim colonus , qui arborem plantat , ad illius fructus jus habet : ita Deus , à quo conditi sumus , tantò amplius

## CAPUT XXI.

251

plius in nos sibi juris vendicat, quantò plura in nobis fecit. Quapropter debentur illi omnes hominis fructus, qui non sunt nisi ipsius opera: quæ illi negamus, & quodammodo furamur, quando ea non offerimus & dedicamus Creatori nostro, sed vel propter alium finem malum, aut non bono fine eadem perficimus.

Rationem porrò & severitatem, quâ in fructibus istis colligendis usurpis est Deus, clarè disertéque idem ipse nobis declarat in Evangelio, quando veniens ad fici arborem, & nihil inveniens præter folia, etsi non erat tempus sicuum, nihilo minus ei maledixit; & arefacta est continuò fculnea<sup>a</sup>. quæ fuit imago & specimen ejus, quod accidit hominibus: à quibus multò æquiùs districtiùsque Majestas divina fructus reposcit, quām ab arbore quam sevir, ullus agricola; propterea quod hic contentus sit, si semel in anno fructus ex ea decerpatur, quos Deus omni exigit tempore. quin etiam, si sic loqui liceat, tantopere experit delectaturque idē

L 6

hie

<sup>a</sup> Matth. 21, v. 19; & Marcii 11, v. 13.

his fructibus, ut iis, quæ judicio nostro ipsi debentur, minimè acquiescat; sed velit insuper postulētque copiosiores à nobis fructus, quam dare posse videamur: uti satis apparent in eo, quod siculneæ usuvēnit, à qua, quo tempore non oportebat, cùmque naturaliter essent impossibiles, fructus nihil secius colligere cupiebat.

Etsi verò fieri possit, ut Deo satisfacimus in iis, quæ præcepta ipsius à nobis pertinent, & plurima ad hæc supererogationis opera adjungamus: hoc tamen præstanto, iis, ad quæ nos (pro acceptis ab infinita ejus liberalitate beneficiis, próque illis, quæ juxta sanctissimam voluntatem suam, quæ cupit, ut simus perfecti, sicut ipse perfectus est, suggestis saluberrimis monitis) obligatos fatemur; revera non satisfacimus. Cujus rei princeps cauſa est, bonæ puræque intentionis defectus: ideoque pro eximia sua clementia, de illius dignitate & præstantia tam severè nos admonuit benignissimus Deus, tamque vehementer eamdem nobis commendavit.

Hunc seruum Dei hâc de intentionis puritate

xitate sensum manifestè nobis produnt verba ejus, qui talentum acceptum absconderat, & quia fructum in eo nullum fecerat, ejectus est in tenebras exteriores; cùm Dominum ille suum metere dixit, *ubi non seminavit*<sup>b</sup>: quæ etsi cum ratione & jure optimo posset, ad nostram tamen instructiōnem, refutare Dominus noluit. Quòd si igitur objici sibi ille passus est, ibi, ubi non seminavit & plantavit, fructus se expectare: quomodo non eosdem flagitabit, ubi tali id cum cura fecit, uti in homine; quem tanto sumtu excoluit, ut ei uberiùs irrigādo, pretiosum Sanguinem suum profundere non dubitaverit. Atque ita se res habet. Ex actionibus quoque non obligatoriis neque cum virtute conjunctis, sed liberis & indifferentibus, fructus optat colligere, vultque eas, amore sui, fructuosas fieri & meritorias; non ex operibus tantùm iis, ad quæ necessitate adstringimur, verùm ex illis etiam, quæ sponte suscipiuntur, & ex se bona non sunt, fructum habere percipiens. Cùm igitur Deus tam rigidum se hac in re accuratumque exhibeat Censorem, & ab omnibus re-

<sup>b</sup> Matth. 25, v. 24.

bus fructus deposcat, omnesque nostras actiones ad bonum finem fieri velit; cur adeò negligentes & improvidi sumus, operaque exsequimur huic voluntati planè contraria, quæque bono fine fieri nullatenus possunt? qualia ea, quæ mala sunt, immo & bona, quoties non bono fine fiunt, adeoque per-eunt. Arbores quasdam reperire est, quarum fructus, cum terram attingunt, computrescunt: his simillimæ sunt actiones nostræ. Si enim intentio, quâ eas facimus, terrenum aliquid spectet; quantumcumque bonæ illæ pulcræque videantur, in solidum dispereunt & pessimumdantur.

Verum si nos ipsos consideremus, reperiemus majus detrimentum nobis dari nullum posse, quam quod de recta in operibus nostris intentione parum adeò laboremus: qui est naturæ nostræ abusus ignominiosissimus. Nam uti finis hominis, unicus & solus est Deus: ita Deum ille omnium actionum suarum finem habere propositum debet. quas si alioversum dirigit, intolerabilis semet-ipsum atque enormi afficit injuriā, rem inconvenientissimam absurdissimamque,

que, & maculam turpissimā dignitatis suę  
in se admittens. Cui etenim nō videatur ab-  
fonum in primis & inconcinnum, si pincer-  
na phialā ad hoc paratā, ut Rex quispiā po-  
tentissimus ex ea bibat, abuteretur pro vase  
immundo, fœtentique illā cœno sordibūl-  
que impleret? aut si sceptrum, quod insigne  
est auctoritatis Majestatisque regiæ, ad for-  
didos canales & cloacas repurgandas adhi-  
beret? Siquem res istæ sensum accepissent,  
quantopere eas de hac tanta indignitate &  
dedecore expostulaturas arbitramur? & ta-  
men natura eas sua & substantia ad tam no-  
bilem finem non destinavit; sed ars sola pe-  
rticiaque aurificis, & dispositio industriaque  
humana. Quantò verò depravatio fœditás-  
que turpior existimari debet, si homo, non  
artificio alieno, sed ex naturae essentiāque sua  
& dispensatione divina conditus & ordina-  
tus ad ipsūmet DEVUM, majorēmque ipsius  
gloriā, distineatur curis aliis multò viliorib⁹,  
infinitiésque ampliùs differētibus, quām os  
manūsve regiæ, cum maximā immunditiā  
comparatæ? Res enim hæ omnes eodem  
creaturarum ordine, quæ se infinitè nequa-  
quam excedunt, universæ continentur:

inter DEVVM autem & quemcumque alium finem creatum, distantia intercedit infinita. Quare vel hinc discat homo, quanti sit momenti, ut cuncta purâ fiant intentione, ad honorem DEI; neque ad alium sinistrum finem detorqueantur abjicantûrque: cognoscat item, quâm gravi, intentionis puritatem non conservando, semet-ipsum damnno atque dedecore afficiat.

Quod ut tantò perspiciatur clariùs, illud adverti debet, quòd solo perverso rerum usu, earumque à fine suo aversione, etiamsi id fiat ob rem aliam finemque digniorem & excellentiorem, ad quem ordinatæ aptæque non sint, insignis rebus ipsis injuria ignominiaeque nota imponatur. Exempli loco accipio hominem, diversis mediis, quæ ad unum eundemque finem juvare nequeunt, utenteim; id quod adeò ineptum absconumque est, ut nemo futurus sit, quin stultitiam id manifestam interpretetur: velut si quis pauxillum nivis sumat, ad pastillos conficiendos, suffitumque excitandum, atque ad beneolentes aquas inde exprimendas, quibus Rex consecretur & inungatur;

aut si

aut si ex Rustici ligone, Imperatori vestiendo crispantem contexat Purpūram. Major dementia stoliditásque nec cogitando fingi ulla queat. At qui omnis isthæc tam multiplex stultitia exercetur, quotiescumque à suo res sine avertimus, eóisque in usus i-pas adhibere nitimur, ad quos factæ non sunt, nec quadrant. quin èt rebus ipsis injuriam facimus, eas ad quæ non conducunt, et si ceteroqui excellentiora, applicando: cùm sic inutiles, damnoſæque & prorsus abjectæ relinquuntur. rerum enim bene ordinatarum pretium & aestimatio, colligenda est ex aptitudine solâ & ordine, quem habent ad suum finem: atque uti, cùm ad aliū diversum illæ finem referuntur, cum eo nullo modo conveniunt; ita nihili quoque aestimantur.

Iam verò si sit dementiae insaniæque manifestum argumentum, iniquissimum quoque & non ferendum, à proprio res sine detorquere, quantumvis id fiat ob alium finem meliorem; quām stultum erit injuriūque, & homini noxiū, si seipse à fine suo, qui Deus est, abducatur: idque non

ob

ob finem alium meliorem; sed infinites vi-  
liorem & abiectiorem, quantum nimirum  
Deus suas antecellit creatureas?

Rerum deinde abusus tanto est turpior  
absurdiōrque, quanto res ipsæ præstantio-  
res. quemadmodum igitur creaturæ ratione  
& intellectu præditæ, nobilissimæ omnium  
sunt & excellentissimæ: ita cum à fine illæ  
suo aberrant, fœditatis, quam ceteræ, plus  
habent summæque perturbationis. Atque  
hoc pacto quisquis se ad DEVM finem su-  
um non adjungit, actiones illi suas dican-  
do; multis modis nocet sibi met-ipsi. Primo  
quidem; quoniam seipso abutitur, dum si-  
ne ullo commode, imperite prorsus à fine  
se suo abstractit & avertit. Secundo: quia ad  
alium se finem abjicit, longè inferiorem.  
Postremo: quandoquidem nobilissima est &  
præcipua totius Mundi creatura. Quod re-  
gula aliqua politior est rectiōrque, quod vas  
pretiosius & concinnius elaboratum; hoc  
magis illa detur pat rimula aliqua, exiguaque  
curvatura seu obliquitas: & quanto regia  
purpura splendidior est præstantiōrque,  
tanto facilius labecula in eâ observata dis-  
plicer.

plicet. Eodem planè modo , tametsi res modica esset, in qua intentionem nostram à DEO averteremus ; probrofa tamen inconvenientia censi deberet.

Nondum satis errorem illum declaravimus, quem quis , non omnes actiones suas DEO consecrando, committit. Nam non deflextit ille solùm à fine suo , qui est abusus intolerabilis, etiam in materialibus sensuque carentibus rebus , ut jam vidi- mus: verùm hoc amplius gravatur vio- lenter, efficítque contorsionem ac distra- ctionem longè perniciosiorēm ; cùm ipsi etiam fini vim adferat, rerum naturas inver- tendo, éque medio finem, & ex fine medi- um faciendo. quæ monstrosa est dissonan- tia, duplēxque stultitia: perinde ac si pi- cto r certò sibi persuaderet , non pictu- ram penicillo , sed penicillum picturâ fieri oportere. Multò major est insolentia imprudentiāque , cùm homo intentio- nem suam à DEO separatam abjun- ctāmque , defigit in creaturas , quæ homine inferiores , immo propter ipsum hominem factæ sunt . tum  
etc.

etenim non disjungit se modò homo à DEO, fine suo: sed etiam à se-ipso, qui est finis omnium hujus Mundi creaturarum, aversus, ad ipsas convertit se , in illisque finem suum collocat, & neque se neque illas ad DEVUM refert , qui solus est finis ultimus universorum : quod nihil est aliud, quam ordine perverso ex medio finem, & ex fine medium facere. Quòd si igitur tantâ res quæpiam oneretur injuriâ, dum à fine suo aliorum detorquetur ; quanta illa erit injustitia, cùm ipsum medium pro fine usurpat? Accedit , quòd vim ejusmodi & depravationem non fini qualicumque, illo medii vicem utendo, ad aliámque rem inferiorem ordinando, adhibeamus ; verùm ipsum ultimum omnium finem, hoc est, DEVUM, pro medio frequenter servire velimus, eundemque nostræ, non nostram ipsius voluntati accommodemus: quo nihil iterum præposterum æquè, inconditum & monstrosum cogitari potest.

Videamus nunc itaque, parvîne fortassis intersit, ut puram sincerâmq[ue] habeamus intentionem, in solum illam DEVUM dirigen-

rigendo, nihil neque proprii honoris, neque delestationis, neque utilitatis nostræ causâ faciendo. Nam quamprimum à DEO declinamus & diuertimus, dignitate mox & existimatione, commodoque omni excidimus; quod David testatur, cùm ait: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*.<sup>c</sup> Nimirum uti res quælibet inutilis efficitur, cùm sine usuque suo destituitur & privatur: sic homo, qui non simplici rectaque intentione DEVUM aspicit, tantumdein valet atque oculis captus jaculator & sagittarius. Christus Magister noster ubi ad intentio-  
nis puritatem nos adhortatur, dicit, *Si oculus noster fuerit nequam, totum corpus tenebrosum fore* <sup>d</sup>: quia si visus noster oculique intentionis nostræ DEVUM non spectent, sed si nem alium malum; totus homo, totum ejus corpus, & anima, totaque substantia, den-  
fissimis tenebris cæcaque caligine circum-  
fusa, honorem, fructum, usumque plane nullum habent.

Quare si bonæ defectus intentionis ita vitiat corrumpitque radicem, opera omnia,  
etiam

<sup>c</sup> Psalm. 13, v. 3. <sup>d</sup> Matth. 6, v. 23.

etiam nobilissimarum virtutum, inde na-  
scientia, inutilia relinqu, & labores irritos  
frustraque susceptos esse, manifestum eva-  
dit: ed quod nihil absque bona intentione  
Deo placere possit. Quocirca verè dixit Ri-  
chardus Victorinus, Homines ex prava  
intentione operantes, homicidas esse, suo-  
rumque filiorum, id est, actionum perem-  
tores. *Quid enim juvat, inquit, bonorum  
operum prolem gignere, & eam per intentionis  
depravationem necare? & quale, queso, erit, si  
liberorum nostrorum imperfectores conscientia  
propria nos esse convincit?*<sup>c</sup>

Mala intentio Salamandræ similis est,  
quæ ad radicem arboris posita, eam pla-  
nè sterilem reddit <sup>f</sup>. Neque enim uni-  
cum istud actionibus bonis damnum illa  
parit, quod eas dignitate sua spoliet & me-  
ritis; sed quod malas easdem, pœnâque &  
castigatione dignas efficiat. Potestne ja-  
ctura aliqua major esse? immo non est  
hæc tantummodo jactura, sed damnum  
incom-

<sup>c</sup> Tractatu de statu inter hominis cap. 7. & apud Iac. Al-  
var. Tom. 2. lib. 3. part. 3. cap. 1. ubi de intentione præclaro  
differit. <sup>f</sup> Vide Plini. lib. 29. cap. 7.

incomparabile. Quidquid sine hac intentionis sinceritate, ob sinistrum aliquem finem agitur, aliud non est, quam arida ligna præparare ad ignem purgatorium, nostramque ipsorum perniciem interitumque promovere. simulatque etenim cor intentionemque nostram à Deo avertimus, nihil amplius proficere, nec magis, quam piscis extra aquam, conquiescere possumus.

Contrarium experitur, qui actiones suas omnes in Deum erigit, illas sincera intentione, propter solius Dei amorem exsequendo. talis namque, quæ ex se sunt indifferentia & inutilia, facit esse meritoria: moralium verò virtutum actiones ed attollit, ut in caritatis opera transformatur. quin è fieri potest, ut, cum sine culpâ suâ, per errorem multa facit, quia tamen bonâ ea facit intentione, in talibus quoque operibus præmio suo non careat: adeoque quidquid agat, meritum suum semper augeat, quæstumque aliquem consequatur. Enimvero qui propter finem tam bonum sua opera peragit,

peragit, is, ut Sapiens loquitur, *consummatus  
in brevi, explebit tempora multa* <sup>g:</sup> propterea  
quodd actiones eò sunt admirabiliores præ-  
stantioresque; & tantus quis est in conse-  
etu Dei, quantum bonitatis ejus habet  
Intentio. quæ singularis adeò pretii est &  
meriti, ut soli Deo bonorum & præmio-  
rum abundè suppetat, quibus eam com-  
penset, isque sibi non satisfaciat, nisi pro ea  
donet semet-ipsum.

Hinc Diabolus impiger & indefessus ni-  
hil remittit operæ, ut eam prævertat, adul-  
teretque; & perpetuas eidem insidias struit.  
id quod præclarè explicant ea, quæ accide-  
runt Mulieri illi Apocalypticæ, *amidæ sole;*  
propter bonam nempe intentionem, quæ  
totum ejus corpus lucidum reddebat &  
formosum: ante quam parituram stabant  
*Draco, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret.*<sup>h</sup>  
Pari modo exspectat Dæmon, studetque  
perdere opera nostra, quæ partus sunt qui-  
dam fructusque Iustorum: adversus quem  
prudentissimè illud adhibemus remedii,  
quod Mulieri huic feliciter evénit; quæ si-  
mul

<sup>g</sup> *Sapient. 4, v. 13.* <sup>h</sup> *Apoc. 12, v. 1 & 4.*

mul ut peperit, raptus est filius ejus ad DEVM,  
& ad thronum ejus i: sic enim actiones et-  
iam nostræ, nisi in DEI ipsas conspectu fa-  
cimus, & ad ejus gloriam referimus, pari ini-  
discrimine versantur.

Quæcumque hactenus diximus, bona  
sunt & commoda, à purâ intentione colle-  
cta; quæ est ipsissima illa *Bona Voluntas*, cui,  
nato Salvatore, *pacem* promisere Angeli k:  
quia Sancto Leone testante, *Christiano vera  
pax est, à DEI voluntate non dividi*<sup>1</sup>. Actio-  
nes enim quæ bona carent intentione, re-  
vera inquietant turbavitque hominem, ob  
distractiones quas afferunt, quando nos af-  
fectibus regendos permittimus, non ratio-  
ni legique divinæ ; & quoties hominibus  
placere studemus, quod difficilius est quam  
placere DEO , rebus sinistre cadentibus  
commovemur : cuius turbationis causa  
non tam occupationum multitudini est  
imputanda, quam quod non purè propter  
DEVM easdem aggrediamur.

Intentionis denique puritas fons est

M peren-

<sup>1</sup> ibid. v. 5. k Lyc. 2. v. 14. I S. Leo serm. 9 de Nativitate  
Dominii, cap. 1.

perennis gratiarum & beneficiorum divinorum, supremum perfectionis culmen, animæ nostræ cum Deo vinculum, vitæ hujus solatium, cæli clavis, & patentes literæ, nobilitatis nostræ testes, quæ ad congressum colloquiūmque ipsius Dei, aditum nobis patefaciant.

Sanctus quidam Frater, vestiario unius è Societate Collegii præfectus, cui nomen Ioannes de Soto, gravi & mortifero, quem prædixerat, morbo decumbens, jam morti proximus acum poposcit, quam in parietis alicujus rimam inseruerat. Hic præsentes, aberrare animum hominis opinabantur: quibus ille, Non deliro, inquit, mentisque & animi, Dei beneficio, sanus sum; quare amore ejusdem divinæ Majestatis, dari mihi velim quod peto. Acceptam itaque acum in manus summis, dixitque: Hæc mihi cæli clavis erit, hæc paradisi portas reserabo, cùmque hac mori cupio, & Christum invisere, Redemptorem meum. Nihil enim hac acu paravi, nisi solius amore Numinis; neque filium eadem trajeci umquam, præterquam ut illi placarem, non aliter

aliter quam si ipsummet Christum vestire debuisssem.

Verum non in altera modo, sed in hac quoque vita puram Deum Intentionem multis gratiis favoribusque remuneratur. Alphonsus Rodriguez vir religiosissimus, Majoricensis Collegii nostri Ianitor, quia quoties fores aperiebat, id facere solebat, tamquam si ipsummet illas Christo Domino panderet; bonum Iesum per eas ingredi, saepius conspexit.

Quae hactenus de Intentionis puritate differuimus, ea non tantum de actionibus exterioribus accipienda sunt, verum etiam de interioribus, adeoque minimâ cogitatione affectûque interno: ita ut nihil meditemur, quod ad Dei obsequium, ipsiusque amore in non pertineat; neque latitudinem ullam, quae non tota in Deo sit, & propter Deum, in cor nostrum admittamus.

M. 2. Log. viii. CAP.

## CAPVT XXII,

*Gradus puræ Intentionis, ad DEI  
in omnibus voluntatem implendam  
necessarii.*

**A**d maiorem perfectionem, Intentio-  
nisque puritatem, & lucra quæ parit  
commodaque augenda; Primo adlaboran-  
dum erit, ut actu illam exerceamus, omnia  
ad DEVVM referendo, habendoque, utilo-  
quitur S. Augustinus<sup>a</sup>, unum & eundem  
cum divina voluntate affectum: ut quem-  
admodum DEVS omnia vult & facit pro-  
pter semet-ipsum; ita et nos nihil amemus,  
ne nos ipsos quidem, nisi propter DEVUM,  
ejusque sanctissimæ voluntatis adimpleti-  
onem. Verum hæc oblatio non generatim  
tantum ac virtualiter, ut ajunt, sed parti-  
culatim & actualiter fieri debet in uno quo-  
que opere: præcipue tamen in actionibus  
nobilioribus, quibusque plus difficultatis  
inest & laboris, immo in minoribus quo-  
que quoties possumus; cum hac ratione  
neque

<sup>a</sup> Vnde Augustin. in Ps 31, 32, 35, 36, 100, 124 & aliis

neque actualis animæ in DEVUM elevatio interrupatur, neque caput debilitetur, eive noceatur. Nam, ut graves docent Theologi<sup>b</sup>, Intentio generalis, quam habitualem vocant, non sufficit, ut meritum refundat communicetque operibus particularibus, nisi illorum caussa sit, aut affectus ab illâ aliquis relinquatur. Et quia multas res facimus, quæ ab intentione & proposito matutino nullo modo dependent; permagni interest, singulis operibus auream hanc coronam imponere, quò tantò sint DEO acceptiora.

*Secundò. Quod facimus, Dei amore, singulari cuim delectatione, facilitate, alacritate, & ardore animi, sine omni tristitia & repugnantia faciendum est: quia hæc agendi ratio vehementer sibi quemque devincit & obligat. Nam inter homines ipsos benevolentia alacritasque, quâ alter alteri gratificatur, præ ipso obsequio aestimari consuevit. Lætos hos promtosque sanctæ Animæ*

M 3

animos

<sup>b</sup> Suarez. To. 3 in 3 part. disp. 13, sect. 3. Vasquez. in 1. 2, disp. 6, cap. 1, & alibi. de Lugo disp. 7 de Pœnitent. sect. 4, num. 39, pag. 70, & alii passim.

animos in castissimo Epithalamio divinitus  
Sponsus collaudat, cùm, *Surge, inquit,  
propera, amica mea, columba mea, formosa mea,  
& veni.*<sup>c</sup>

Tertiò. Omnia integrè unicèque facien-  
da sunt propter DEVM, ad nullum alium  
ignobiliorē finem, propriūmve emolu-  
mentum advertendo: quicumque enim a-  
lius respectus finisque, etiam non malus, ex-  
cludendus est. Monuisse de eo nos videtur  
Magister noster IESVS, quando de Inten-  
tionis sinceritate verba faciens, *simplicita-  
tem* in ea requirit: ideoque non pluribus,  
sed uni solùm *Oculo* eamdem comparavit<sup>d</sup>;  
paullóque pòst, *Neminem daobus Dominis  
servire posse, subjunxit*<sup>e</sup>. Quin èt in actioni-  
bus virtutum, fine bono instructis, danda  
opera est, ut extollantur altiùs, atque ex ca-  
ritate potiùs Deíque amore, quàm præcisè  
immediatèque ob proprium suum finem a-  
liquem peragantur.

Istud præterea cavendum est, ne opera

no-

<sup>c</sup> Cantic. 2. v. 10. Munerum animus optimus. Vide de hoc  
Senecam lib. 1 de beneficiis à capite 5 usque ad 11. d Matthe-  
6. v. 22. e ibid. v. 24.

nōstra metu Inferni vel Purgatorii , aut  
ob spem præmii, mercedis & reimunera-  
tionis perficiamus. Fines hi tamen si boni  
admodum , minūs tamen perfecti sunt,  
quām tantūm ea facere propter DEVM , e-  
jusque Majestatis unicum beneplacitum.  
Alii fines si adhibeantur, voluntate propria  
exui, sibique, ut par est, mori anima non  
potest. Ac licet neque inferi cælumve esset,  
neque beneficium à DEO ullum accepisse-  
mus: licet etiam sine ulla caussa æternis nos  
suppliciis vellet excruciare ; adhuc tamen  
eodem nos modo facere , illique omni-  
bus viribus nostris, animâ & vitâ nostrâ  
servire oporteret, solum quia est qui est,  
quia tam bonus in se-ipso , aliud præmi-  
um nullum spectando : idque non tam  
ut DEO placeamus , (cūn & hīc latēre,  
involvique queat aliquid respectūs & a-  
moris proprii) quām quia Devs nobis  
placet, & quia de ejus Majestate ac summa  
Bonitate honorificè adeò sublimitérque  
existimamus , ut propter se-ipsum aman-  
dum,dignissimūmque esse censeamus, cui

etiam cum delectationis omnis vitæque nostræ dispendio famulemur. Quòd si igitur boni quoque fines , ut quod omnium optimum est consequamur, excludi debent; malos & indifferentes numquid minus licebit admiscere? Verumtamen nulla æquè est intolerabilis impudentia, atquè si ex ipsis illis operibus , quorum executio ne solam deceret querere gloriam divinam, humanos favores propriamque estimationem colligere studeamus.

Ad hunc gradum pertinet indifferentia ad hæc illæve opera, & hoc illæve modo facienda. Nam sicut rei cor affigatur & agglutinetur, non est illud omni ex parte purum; præsertim si actiones sint indifferentes, & naturali inclinationi consentaneæ. Sicut cùm quis mensæ accurrit, (id quod ad DEVm referendum , ejusque amore faciendum est) tam paratus esse debet ad non comedendum, quam ad comedendum, nihilque respicere , præterquam beneplacitum divinum; & hunc unicum ex omnibus operibus fructum voluptatēmque querere , ut Dœ honor obsequiūmque

præ-

## CAPUT XXII.

273

præstetur. quod nisi fiat, nihil illa faciat oportet, séque ipsum penitus negligat & obliviscatur: ad exemplum Beatorum in cælis, quorum præcipuum gaudium est, impletam videre voluntatem divinam; quóisque longè minus propria delectat felicitas, quam, cui eam acceptam referunt, bonitas DEI. Ex hac regula & voluntatis indifferentiâ, facile erit cuivis cognoscere, habéatne talem intentionis puritatem. fit enim frequenter, ut hīc erreimus: & lapis iste Lydius multas prodit detegitque adulterinas parūmve bonas intentiones. Alia item superest regula, quā adhibitâ doceamur, num verè hanc intentionis puritatem obtinuerimus: nempe, si ex re quapiam creata gustum adhuc consolationēmve aliquam percipiamus. S. Bernardum ita de seipso locutum ferunt: Quamdiu consolationem aliquam & voluptatem capere possum ex re aliqua quæ non est Dei; in veritate dicere non audeo, quòd Dilectus noster inter ubera commoretur, aut in sinu amoris vehementer ardentis re-

M. 9

quiescat

quiescat<sup>f</sup>. Et *Mulier* illa in Apocalypsi,  
vanæ gloriæ tentatione à Dracone impu-  
gnata, fugit in solitudinem<sup>g</sup>: quæ est non ob-  
scurum puræ Intentionis symbolum, quam  
ab omni creatura procul remotam separa-  
tāmque esse decet: usque eò, ut anima inter  
omnes mundi delicias oblectationesque  
posita, sola tamen sit; quandoquidem  
proprio amore prorsus vacua, suique i-  
psiis oblita, nullam ex iis percipiat volu-  
ptatem.

Quartò. Actiones eatenus sunt perfici-  
endæ, nihil ut in ipsis desiderari possit: ni-  
mirum, ut sine omni sollicitudine & hæsi-  
tatione voluntas DEI impleatur. Decipi-  
mus enim crebrd nosmet-ipsos affectu a-  
liquo turbati: qui prohibet, quò minùs id  
quod rectum est videamus; nōsque sup-  
plantat, ut absque plena integráque divi-  
ni beneplaciti agnitione, voluntatem no-  
stram colore aliquo, quem sibi ipsa pin-  
xit, adspersam fucatāmque exsequa-  
mur.

*Quare*  
*F Vide S.Bern.Tract.de diligendo D E O . Verba Viri Sancti dñi*  
*frustra quasivimus. g Apoc.12, v.6. Vide Drexel. Am. ff.*  
*d. 2, c. 3.*

## CAPUT XXIII.

275

Quare necessum est, ut in ea quæ agimus  
sedulò inquitamus, Intentionemque no-  
stram diligenter perpurgemus, quò pru-  
denter eligamus ac decernamus, quid divi-  
næ voluntati beneplacitóque convenien-  
ter, potissimum facere conveniat: cùm sine  
hac inquisitione & examine, pura Intentio  
obtineri nullo modo possit. Quomodo e-  
nim illud amore DEI, atque ob divinæ Ma-  
jestatis in eo beneplacitum perficiatur,  
quod vel DEO displiceret, vel de quo, num i-  
psi placeat, jure queat dubitari? <sup>h</sup>

## CAPUT XXIII.

*Quomodo Divina Voluntas agno-  
scenda sit, ut integrè compleatur, opera  
nostra sincerè ad DEV M dirigendo.*

**N**E igitur hac in re aberremus, Regu-  
las aliquot, ad quas dirigamur;  
proponam, iis, quas S. P. N. Ignatius

M 6

tius

<sup>h</sup> *Multa de recta Intentione & ad profectum utilia ele-  
ganter differit P. Theophilus Bernardinus de religiosa perse-  
verantia præsidij, tete libro nono.*

tius a tradidit, conformes : à quibus divinam voluntatem edoceamur , quoties de ea nobis aut præcepto expresso , aut Superiorum imperio , aut alio quopiam modo, non satis constat.

Primò. Procuranda nobis est singularis quædam indifferentia , affectum non in hanc magis rem quam aliam inclinando: quia quæcumque minus ordinata affectio facillimè judicium ad se rapit , adeoque illud perturbat , ut veritatem non agnoscat, ejusque loco mendacium amplectatur. Studeat itaque anima huic ad omnia indifferentiæ, neque in alteram præ altera partem propendeat, remve hujus vitæ ullam appetat : sed velut in medio quodam intersticio & æquilibrio subsistens, puro simplicique oculo DEVUM ejusque sanctissimam voluntatem, quæ sola tum conspici poterit, continuò intueatur.

Porrò ut ad hanc indifferentiam perveniamus, finem oportet constituamus nobis ante oculos, in quem conditi sumus, certaque omnia cogitemus media esse , quæ nos

*alibello Exercitorum, de modis electionis.*

nos juvent ad melius consequendum finem istum, qui est **DEI** gloria, ejusque sanctissimae voluntatis impletio. Reliqua porro media esse cum certissimum sit, caussae nihil habent cur amari velint, nisi quantum ad hoc conducunt, propter quod sunt. Ex quo conficitur, ad res quasque indifferentes nos esse debere, neque ad eas eligendas amandasque ferri, nisi quantum videimus, quod nos ad finem nostrum divinaque voluntatis impletionem perducant: nam si in hoc deficiant, ratio quoque deficit easdem expetendi.

Viator qui ad certum locum ire cogitat, cum in divortium viarum incidit, non attendit, an viarum duarum haec ad dexteram vergat, illa ad sinistram; neque utrum plana sit altera, altera inaequalis: sed advertit solum, quamnam ex illis capessendo, ad locum quo ipse tendit, perventurus sit, aliam nullam caussam habens unam praeter altera amandi & eligendi, nisi quod ad constitutum ipsum locum perductura sit, quantumcumque asperam illam, confragosam & difficilem experiatur. Eodem modo alia

nos ratio ad aliquid volendum non debet impellere, quām hæc unica, Id quod facere molimur, tale esse, ut ad DEVVM nos ducat, ut cum ejus Majestate conjungat & uniat, ut ipse id velit atque approbet: hoc unum & solum perpetuò spectando , sive suave alioqui sit sive grave , jucundum vel acerbum . Atque uti illi , qui latrunculis ludit , perinde est quo modo calculos moveat , dum finem suum assequatur, hoc est, victoriam ; ideoque nullo discrimine Regem promovet & peditem , sed eos solum mutat calculos , quos lusui suo credit esse opportuniores : simili ratione, cūm lucrum quod speramus ex operibus nostris, ipse nempe Devs, majoris sit momenti ; majorem quoque nos ad omnia indifferentiam habere oportet, hōque dumtaxat perpēndere , illūdne quod facere cogitamus, eōdem conducat.

Hunc finem semper ante oculos proponere debemus, ad illūmque res omnes ordinare ; non contrà , finem ad res eas , quæ sunt media , convertere : quæ monstrositas quædam est, maximāque, et si

ad-

admodum usitata, detorsio. Primum enim res ipsas deligunt sibi plerique mortalium; deinde illis servire Deo volunt, easque ad ipsius gloriam dirigere: in quo turpissimus finis abusus reperitur, dum non primariò & directè, sed secundariò & obliquè Deum respicimus, eumdem voluntati gustuique nostro accommodando, cum contrarium faciendum esset. Nam primò statuere oportet firmiterque decernere, quod Deo placere velimus; tum verò eligerre faceréque id, quo Deo placeamus, media ad finem ordinando: quia ex nostro arbitrio beneplacitóque rem quampiam eligere, móxque eam Dei servitio velle impendere & ad divinam ejus Majestatem referre, fœdissima est confusio ac inordinatio, cum qua intentionis sinceritas nequit consistere: tantumque abest, ut hac agendi ratione immortalis Dei voluntas integrè compleatur, ut ne mortalibus quidé ipsis satisfacceremus. Hinc quoties alteri cuiquam homini gratificari, munisque aliquid offerre paramus, ante omnia solemus dispicere, officiumne & donū nostrū ipsi sit  
placi-

placitum; non verò postea velle, ut gratum sibi illud acceptumque sinat accidere: fieri quippe potest, ut res sit, quam parum ille vel nullo modo proberet, aut quam planè etiam oderit improbètque. at verò secundo loco id agere, ut eamdem admittat gratiamque habeat, est, alieni arbitrii gustusque dominium sibi arrogare, eoque ad nostrum libitum uti; non illi obsequium studiūmque nostrum approbare.

Quòd si jam homo indignetur ita se tristari ab homine: qualiter id Devs feret? si nostri similibus illo pacto minimè satisfacti remus: possimusne existimare, Deo nos satisfacturos? Nemo se fallat, putetque eò solùm, quòd res suas ad DEVUM dirigat, rectam se habere intentionem: quoniam dirigere id potest, quod Devs, quia sibi ingratum, dirigi ad se nullo modo velit.

Illud quoque evenire queat, ut homo ad DEVUM referat, quod suâ ipsius caussâ referre cupit, quantumvis id Deo gratum quoque sit: cùm non referat illud solùm, quia Deo placet, verum etiam, quia sibi met ipsi.

Postea-

Posteaquam igitur hanc indifferentiam perfectè consecuti , voluntatem nostram ab omni terrenarum affectionum pulvere mundavimus ; magna cum spiritū tranquillitate, animæque pace, sincero puroque corde expéndere secum ipse & interrogare quis debet : Quid magis Deo placet ? quid me, & quónam illud modo vult facere ? Eo perfecto, anima passionibus suis omnique affectu creato expedita & vacua , in Dei conspectu clarissimè pervidebit, quid se facere, & quid, ad ipsius sanctissimam voluntatem complendam, supremæ isti Majestati offerre conveniat.

Secundò. Plurimum quoque ad hanc indifferentiam obtinendam conducit , ut, cùm potius se homo in unam quàm alteram partem notat propendere, cogat se ipse inclinéisque in partem contrariam , atque illud ipsum à Deo precibus assiduè exoret; ut tantò minùs voluntati suæ more in gerat: prorsus uti recurvum baculum directuri, in latus oppositum contorquere illum & deflectere solemus.

Tertio. Maximopere adjuvabimur, si  
pro-

prototypi & absolutissimi exemplaris vi-  
cem, sanctissimam Servatoris nostri IESV  
vitam nobis proponamus. hæc est enim  
voluntas DEI, ut ipsum præcipue imite-  
mur, cùmque eodem contemti, pau-  
peres, mortificati, patientes, taciturni, hu-  
miles, benigni, aliisque utiles simus. Vbi  
èt istud mirè proderit, in unoquoque ope-  
re quod faciendum nobis incumbit, anim-  
advertere, Num id Christus facturus fue-  
rit, (siquidem ejus personam non dedece-  
at) &, quo modo facturus? qualem in eo  
fervorem, caritatem, perfectionem adhi-  
biturus? ut pari illud accuratione absoly-  
mus.

Verùm ut ad hanc Christi imitationem  
tenerius afficiamur, & in rerum electione  
Intentionisque puritate securius progre-  
diamur, Sanctus Pater Noster Ignatius tres  
modos sive gradus perfectionis proponit.  
Primus est, cùm homo statuit, ne mundi qui-  
dem totius oblato sibi dominio, vel extre-  
mo vitæ discrimine objecto, quidquam ad-  
mittere, quod Deo displiceat. Secundus, quâ-  
do omnia decernit integerrimè facere ad-

ma-

majorem DEI gloriam. *Tertius* gradus est, duabus sibi rebus propositis, quarum utraque æquè ad DEI gloriam pertineat, illam eligere, quæ Christo similior sit, nōsque illi magis conformet, vivāsque ejus imagines efficiat, et si ceteroqui laboriosiorē & molestiore*m*.<sup>b</sup>

*Quartò.* Permagni interest probè intelligere, DEVUM id velle, quod nobis utilius est; utilius, inquam, non corpori tantùm in vita ista brevi ac peritura, sed animæ insuper, quódque facit ad vitam beatam & sempiternam. Similiter, quando corporis commoditates sensuimque oblectamenta, cum animæ nostræ bono & divitiis spiritualibus conjuncta permistaque reperiuntur, certò nobis persuadeamus oportet, DEVUM id potiùs probare ac velle, quod corpori, sensibus, omnibúsque nostris appetitionibus magis adversatur: quoniā quod ejusmodi est, spiritū præcipue adjuvet, meritiique plus conferat. id quod expressè disertéque Servator ipse nobis declaravit, cùm dixit:

Si

*b* S. Ignat. eodem libello, de tribus gradibus humiliatis.

*Siquis vult post me venire, abneget semetipsum,  
& tollat crucem suam, & sequatur me.*<sup>c</sup>

*Quintò.* Eódem conduceat, divinam gratiam magni aestimare, Mundumque cum omnibus suis voluptatibus contemnere. Nam perinde uti de rebus existimamus, ita eisdem afficiuntur: affectus vero, judicium secum rapit; quod ut rectum sincerumque feratur de iis, quae in electionem veniunt, aestimationem antè legitimam justamque fecisse oportuit.

*Sextò.* Post hæc omnia illud considerandum venit: Si insigniter doctum sanctumque hominem consuleremus, rogaremusque, ecquæ in negotio, de quo ambigitur, Dei voluntas esset? quid ipse nobis responsum esset? quo animadverso, ejus responsum nobis applicemus, sicutque faciendum cogitemus.

*Septimò.* Secum item reputare licebit: Si cùm Christus in terris versaretur perfectionis Magister, aut quo tempore clavis Crucifixus pendebat, consilii caussâ ipsum adiissemus, percunctati, Quæ res ad majus Aeterni

<sup>c</sup> *Matthæi 16, v. 24.*

terni Patris sui obsequium pertineret? quid ipse nobis responsi daturus fuerit? illudque, quod tum accepturos fuisse crederemus consilium, sanctissimæ utique vitæ ejus Crucique conforme, nunc nobis sumemus, juxtaque illud eligemus.

*Octavò.* Siquis nos ipsos aliis consuleret, quid eidem responderemus? (in aliena enim re, sine dubio sincerius, & à passionibus liberiores judicaremus) atque istud ipsum nobis agendum ducamus, quod alteri suadereimus.

*Nonò.* Quid fecisse optabimus, ante DEI tribunal constituti? considerando, hunc Iudicem non posse decipi, eumque perspicacissimo obtutu intima & abscondita animæ nostræ penetraturum, & desideria cordis nostri manifestaturum.

*Decimò.* Etiam in hac vita, cùm morti proximi, Eternitatem, eam jam-jam ingressuri, prospectabimus; de quo tūm pleniūs gaudebimus? Hoc nunc eligendum, dum tempus habemus: neque differenda est pœnitentia, cùm locus illi remediumque nullum supererit.

*Extrē-*

*Extremum illud admoneo, quod primum  
omnium semper esse cónvenit, ut sincero  
submissóque animo DEVM oremus, velit  
nobis suam voluntatem manifestare, neque  
permittere, ut nos-met-ipsos fallamus. Pa-  
ter etenim usque adeò bonus petitionem  
hanc optimam, nobisque utilissimā, & quā  
cedat ad tantam suam gloriam, non poterit  
non exaudire. Atque ita perpetuò ore &  
corde versare decet brevissimam istam S.  
Paulli orationem: Domine, quid me vis face-  
re d? aut illum Christi ipsius, qui vita est &  
bonum nostrum: Non mea voluntas, sed tua  
fiat! e. Quòd si duæ res indifferentes aur bo-  
næ nobis offerantur, quarum alterutra ne-  
cessariò eligenda sit, neque major ex unâ  
quâm alterâ, Dei gloria, perfectiōrve Chri-  
sti imitatio, aut mortificatio nostra depen-  
deat & sequatur; tum verò securè, sine ulte-  
riori examine, utramlibet licet eligere, il-  
lámque DEO offerre, ipsius amore perfici-  
endam: & quamvis opus foret indifferentis,  
quia sic tamen ad DEVM dirigitur, imprimis  
erit meritorium atque lucrosum.*

d Act. 9, v. 6. e Luc. 22, v. 42.

CA

## CAPVT XXIV.

*Opera omnia non solum propter DEVUM, verum etiam quo illa modo fieri vult DEVIS, cum insigni perfectione, facienda esse.*

**V**erum haudquaquam sufficit, quæ facimus, purâ Intentione facere ob DEI amorem, ipsiusque sanctissimæ voluntatis impletionem; sed necessarium præterea est, ut quo modo vult DEVIS, cum insigni scilicet perfectione, eadem faciamus: & quæcumque de gradibus Intentionis, ad rerum substantiam pertinentia, huc-usque dicta sunt, æquè in eaurumdem adjunctis & circumstantiis, modique operandi, ut perfectè fiant, sunt observanda; eadēmque obligatio, quæ est, faciendi res propter DEVUM, obstringit quoque ad easdem ita, ut Deo placeant, faciendas. Si enim, quia creaturæ & opera DEI sumus, eidem debemus quidquid sumus, & possu-

possimus, & facere poterimus; (quemadmodum arbor fructus ei profert, qui illam plantavit) certum est decere, ut debitum hoc & fœcunditas ei, cui debetur, serviat & consecretur: fructus verò, quem ex operibus nostris DÈVS colligit, ipsius est in illis beneplacitum. quare nisi rectè illa fiant, fructum ipse hunc sibi non decerpit, nolque superflui sumus, ac velut cariosæ & exesæ arbores, quarum fructus rejiculi sunt & nihili. Dei quoque mancipia & servi sumus, Deūisque Magister noster & Dominus est: adeoque, uti servus omnia opera sua debet Domino suo, & quidem illo modo perfecta, quo hero placet; ita èt nos nostra ante DÈVM facere oportet. Nam quis servum eum toleret, qui quidquid facit male faciat, omnia perdat, è manibus labi sinat, frangat; & quibuscumque in rebus hero suo servire debet, easdem destruat & dissipet? Atqui æstimabilius pretiosiusque nihil possidemus, quam opera nostra: quia talis unusquisque est, qualia sunt ipsa. Utque satis non est, Attalicum auróque intextum pannum & telam laudare ac æstimare, solum

Iùm quia Attalica sit: verùm illustrem illam,  
splendidam & puram esse necessum est.  
quippe si splendor iste radiique absint, fœ-  
disque illa maculis notata & inquinata sor-  
deat; tantùm abest, ut regalis inde purpura  
confici queat, ut qui illâ vestire Regem vel-  
let, gravissimâ ipsum injuriâ affecturus cre-  
deretur. Eodem omnino modo, bonas in  
seipsis, quas quis facit, actiones esse, nequa-  
quam sufficit, ut propter eas à DEO æsti-  
metur: sed necessarium est, ut rectè factæ,  
sine labe alióque vitio sint, ac sibi debito  
splendore non destituantur. Et verò si ve-  
stem quæ corpus regit, minimâ ex oleo ma-  
culâ inquinari, lacerarive aut diffui non fé-  
riimus; in actionibus, quæ ornamenta sunt  
ac décora animæ nostræ, sordes & confu-  
sionem feremus? si que nobis met-ipsis  
scissum & contaminatum vestimentum dis-  
plicet; inquinatissimis imperfectissimisque  
pleni operibus, in DEI conspectum venire  
num audebimus?

Satis itaque non est, facere solummodo  
quod DEO placet; neque, id facere tantùm  
propter DEVUM: verùm ita fieri hoc ipsum

N

debet,

debet, ut Deo placeat, atque tale sit, quod tanto Domino, proque tot & tantis quibus ei obstricti tenemur, debit is offerri consecrari que mereatur. quò namque res est excellentior ac nobilior, DEI amore operari; hoc amplius culpandus castigandusque venit, qui in opere istius-modi, in boni a deo Domini & Patris gratiam suscep to, non omnibus opibus viribusque elaborat. Hinc Societatis nostræ parens Sanctus Ignatius, si quem ab re quapiam remissiorem apprehenderet, atque ex eodem, DEV M se, cuius caussâ omnia faceret, operis sui finem habere audiret; severè hunc tam acritérque reprehendebat, dicebatque: *Si DEV S propositus tibi finis est, graviter certe multaberis. Nam Mundo negligenter servire, ac vanitati segniter indulgere, haud magnum sanè crimen est: qui autem DEV M spectat, eum oscitanter aliquid facere atque ignavè, intollerabile est.*<sup>a</sup>

Porrò ad opera nostra perfectè exequenda, considerationes sequentes multum juvabunt.

Primo.

*a Rihad. Vita lib. 5. cap. 10.*

*Primò, secum quærere, Quomodo vult  
Devs, ut hoc opus faciam ? Christumque  
audire dicentem: Estote perfecti, sicut Pater ve-  
ster cœlestis perfectus est. b*

*Secundò. Christus ipse quomodo id face-  
ret? quem imitari, omniūque actionum  
nostrarum exemplar absolutissimum, regu-  
lam certissimam, supremāque perfectio-  
nis legem intueri nos decet; operāque  
dare, ut cum fervore, caritate, quantâque  
possimus diligentia, nos quoque opere-  
mūr.*

*Tertiò. Cogitare, Operis nos nostri, mo-  
dique, quo illud exsequimur, testes Iudicē-  
que Deum habere & Angelos. Cui publicè  
aliquid in oculis & conspectu Regis præ-  
standum, quām sollicitus ille est, ut recte o-  
mnia accuratēque fiant?*

*Quartò. Quando ante DEI tribunal  
stabimus, quando ad novissimum qua-  
drantem ratio à nobis poscetur, quando  
explicabuntur & excutientur opera nostra,  
quando Devs illa censebit & ponderabit;  
quo tunc ea modo fecisse optabimus? Vide  
quām' opifex aliquis, cui elaborandum est*

b Matth. 5, v. 48.

opus, de quo sententiam laturi judicaturi-  
que sunt peritissimi Artifices, omnibus il-  
lud ex partibus perfectum efficere studeat  
atque expolitum.

*Quintò.* Qualiter id in hora mortis feci-  
se exoptabimus? atque, si dolebimus,  
quō tempore corrigere illud & emendare  
non poterimus; quare non modò, cùm  
possimus, opera nostra, magnâ cum per-  
fectione, exequi & velimus, & cone-  
mūr?

*Sextò.* Si ultimum istud, quod in hac vita  
facturus essemus, opus foret, quām sollicitē il-  
lud, piéque ac devotè faceres? paritibi mo-  
do omnia opera facienda scias.

*Septimò.* Considera, quanti referat opera  
hoc illōve modo fieri, aut ad maiorem glo-  
riam acquirendam, aut ad graviores in Pur-  
gatorio pœnas accersendas: & quantillum  
laboris amplius ad rectè ea facienda requi-  
ratur.

*Ottavò.* Perpende, quām pulchrum sit ac  
præclarum, Deo placere; quantáque con-  
trà inordinatio, quòd eâ ipsâ re, quam faci-  
endo, ipsi placere cupimus, ob modici labo-  
ris

ris impatientiam, eidem displiceamus? Quanti olim aestimabatur, unius Assueri Regis oculis placere posse? cuius cōspectui sistenda puella aliqua, deligebatur è millibus, ac deinde solidus, illi ornandæ poliedaque, ut coram rege comparere posset, annus impendebatur<sup>c.</sup> qui sit igitur, cùm coram ipso DEO apparere, eique offerri debeant opera nostra; quod non summâ curâ studiisque in iis perficiendis versemur?

*Nonò.* Tali ea animo deliberationeque facere congruit, quasi aliud nihil faciendum superesset. ut quid enim illa obiter ad eò perfunctorieque percurrimus; cùm unum opus bene, quam mille male facere, longè præster.

*Decimò.* Illud quoque non mediocriter prodest, Pro die præsente dumtaxat sollicitum esse. Quis enim non uno saltē die velit bene vivere? atqui crastinus dies incertus cùm sit, hodiernum periclitari non licet. Neque tota simul vita cogitanda est, quam non simul, sed per partes ducimus: quia è sarcina fascisque, qui colligatus nos terreat

N 3

&amp;

e Esther cap. 2, v. 12.

& quem gestare posse desperemus, particulatim acceptus levis est, & ferri potest.

Concludo ad extremum hanc de Intentionis puritate, quâ quis DEO præcipue placere studet, dissertationem; dicoque, Ejusmodi hominem, non bonis tantum, nec tantum indifferentibus operibus plurimum mereri: verùm nihil quoque faciendo, maximorum operum mercedem præmiúmque, eundem conserqui posse; propterea quòd, cùm opus ipsum præstare non possumus, solâ ejus voluntate contentus sit DEVS. Ideoque hoc tam singulare merendi instrumentum mediúmque nullo modo à nobis est negligendum: sed continua cum sollicitudine affectúque, præclara perfectaque DEO opera sunt offerenda; re ipsa, quot virtutum actus vidimus umquam vel audivimus, exercere, tantaque supplicia & tormenta, quanta Martyres omnes subierunt, perferre desiderando. ad eò quippe sincerus, verus, & vehemens potest esse affectus iste, & desiderium,

um, ut operi ipfi æquivaleat, & par-  
sit.

Multò verò amplius providendum est,  
ne quando inutilia, sed ut fructuosa semper  
opera faciamus. Nam uti fœda est confusio  
perturbatiōque, quoties re quapiam ad a-  
lium, quām destinata est, finem abutimur:  
ita non minùs turpis est inordinatio, quan-  
do prorsus otiosa illa remanet, neque pro-  
pter finem suum perficitur, præsertim si e-  
gregium sit opus magnique momenti.  
quis autem major nobiliōrve esse finis po-  
test, quām Dei gloria? Cūm itaque in  
hoc nati simus, ut ad illam universas a-  
ctiones nostras referamus & formemus;  
numquid illud facere, fructusque, quibus  
tantum Dominum honoremus, idem-  
tidem proferre prætermittimus?<sup>d</sup>

<sup>d</sup> Commentarium plorūmque hoc capite dictorum habes-  
tētū dignum, apud Rodericum part. I, Tract. 1 & 2; Suf-  
frenium quoque Anni Christiani Tomo I, parte I.

## CAPVT XXX.

*Quo se modo aliquis in omnibus  
qua facturus est DEVS, ad ejus vo-  
luntatem conformare, illique acquiesce-  
re debeat.*

**V**T nostra voluntas divinæ voluntati  
conjugatur & uniatur, ad hoc non  
sufficit facere, quidquid à nobis fieri vult  
Devs: sed pati præterea oportet & tolera-  
re, quæcumque ejusdem adorandæ Maje-  
stati nobis placebit immittere, aut permit-  
tere; cum omnimodum ipse ad hoc jus ha-  
beat. Nam propter supremum dominium,  
quod in suas obtinet creaturas, iisdem pro-  
libitu suo uti, eas destruere & ad nihilum  
redigere potest: ita ut nemo hoc illum abs-  
que ratione agere, queat obtendere. Quid  
si enim unicuique, eo quod suum & pro-  
prium est, quod libet facere licet; quid ni  
Deo idem liceat? Cur hoc eum communi  
privilegio spoliemus? Quare nos met ipsos  
illi subtrahamus, repugnemus, & quia no-  
bis faciat quæ ipse vult, non quæ nos volu-  
mus,

CAPVT XXV.

197

mus, de eo cōqueramur? Quis DĒVM jure,  
tot titulis suo, uti prohibeat; cūm cuvis, ut  
ē pallio suo tunicā faciat, licitum sit? Ut quid  
angustioribus finibus includatur jus divi-  
num, quām humanum sibi vendicat in bo-  
na propria? Si velit ergo morbis nos, dolo-  
ribus, infamiā, & facultatum, quas largitus  
est, inopiā conflictari; pro arbitratu suo  
cuncta disponat: nec enim queri cum eo  
possimus aut expostulare; sed præstantem  
in nos benevolentiam meritissimō inter-  
pretemur, quod nobis uti, nōsque in ma-  
nus sumere non dedignetur, quantumcum-  
que premat deinde urgeatque. Perquam id  
nempe honorificum est atque glorio-  
sum.

Vir generosus ac nobilis finem non facit ostentandi sui & gloriandi, quod à Rege electus sit ut ipsum gestet, etiam si sanguinem calcaribus ille eliciat, admodumque gravet. Scilicet, quia Regi licere credit ista omnia. Vnum hoc sufficere poterat, ad Deum a quo animo ferendum, atque ad nos, in re quavis, sanctissimæ ejus voluntati conformandos, penitusque submittendos. Mani-

N s festa

festa quippe adversus DEVM injuria & ini-  
justitia est, nolle, ut usurpet rem propri-  
am, déque bonis suis liberrimè statuat &  
decernat. Nobis honori est, quòd operâ no-  
strâ uti velit; quantumvis id faceret (siqui-  
dem hoc pietas ipsius amórumque permitte-  
rent) ad nos, sine ulla cauſsa, in frusta se-  
candos.

Attamen si rem hanc penitiùs placeat  
introspicere, planè reperiemus, non solum  
conquiescere nos, & cum DEI voluntate,  
quidquid demum nobis faciat, & quantum-  
cumque amarum illud molestumque acci-  
dat, conformari oportere; verùm propterea  
nobis quoque ipsis gratulandi, latandi, a-  
nimitusque exultandi justissimam nos cau-  
ſam habere. quandoquidem in eo, quod  
de nobis in hac vita disponit. Majestas ista  
sapientissima nostrisque amantissima, hæc  
una ratio est instar omnium, illud nobis  
bono esse: neque de re ulla ampliores illi  
gratias debemus, quam quotiescumque  
nos affligit. Cauſa hujus veritatis minimè  
est obscura: quoniam ex conditione & natu-  
ra sua DEVS ipsa est bonitas, affabilitas, bene-  
volen-

volentia, & liberalitas, pronior ad bene nobis faciendum, & nos solandos atque recreandos, quam ignis ut ardeat, lapisque ut deorsum versus pondere suo feratur. Cum itaque Dei natura tam benigna sit, numquam affligit ille hominem ideo solum, ut affligat; verum ut eximum ipsi conferat beneficium, cui viam opportunè aperit aptissimumque medium est mortificatio aliqua: adeoque, quasi aliter non posset, ut sic dicam, atque incredibili illo, quo tenetur, bene de nobis merendi desiderio velut impulsus, affligit nos & contristat, quod ceteroqui ab inclinatione illa, quæ in solatum & oblationem nostram tota propendet, est alienissimum. Quia in re mihi quidem admirabilior etiam esse, plusque præstare videtur, dum quodammodo beneficentissimæ ipse naturæ suæ adversatur, & solo commodorum nostrorum desiderio, austriorem se severioremque demonstrat: id quod aliud nihil est, quam merissima benignitas & superabundatissima bonitas. Siquem amicum haberemus, qui à re quam maximopere abhorret, quia tamen

nobis eam profuturam cerneret, propensioni naturali vim inferendo, eamdem faceret, ed solùm, ut bene nobis esset: certum est ea de caussa plus nos ipsi obligatos fore, quām si quacumque alia in re, ad quam natura illum sua indolēsque traheret, nobis gratificaretur. Eodem modo decet, ut D̄eo nos multò ampliū debere, obnoxiosque esse fateamur, quando nos affligit & castigat: cùm longè aliud quām pœnam & supplicia, eā in re Divina Bonitas spectet atque molitur, commodum scilicet nostrum & maximum emolumentum.

Nullam ad hæc rem aliam verius existimare possumus utilem nobis esse, quām hanc ipsam, propter quam fidelissimus prudenter Amicus noster, quō ipsam obtineamus, naturæ gustuique suo repugnare non dubitat: quemadmodum infans æger, si vel tantillum sapit, numquām facilis credet, saluti quidpiam suæ ac valetudini convenire, quām cùm Mater dulcem ex ore ipsius benēque paratum cibum emit, atque amaram illi purgationem offert & ingerit. Eadem nobis ratio persuadere potest

potest, tribulationem & mōrbum, quem  
Devs immittit, magis nobis quām quid-  
quam aliud prodesse. Quò etenim de im-  
mensa ipsius misericordia, de amore tener-  
rimo, de eo quod habet commodorum no-  
strorū desiderio certiores sumus; hòc clariùs  
intelligemus, in rem nostram esse, quoties-  
cūque nos desolatos relinquit: quin immo si  
aliter Devs fecisset, justiorē nos videri caus-  
sam habituros fuisse, de modica illius mis-  
ericordia conquerendi. Nam quo pacto Me-  
dicum clementem dicemus, qui, ne ægrum  
conturbet, comedere hunc sinat & bibere  
quidquid collibeat, etiamsi mortem ipsi ex-  
inde impendere, certò cognoscatur? Et quale,  
obsecro, sit illud misericordiæ genus, aut  
quæ humanitas ejus, qui infirmum mōrti  
proximum potionē unica juvare queat, sed  
parare eam nolit; ipsumque sine remedio  
mori permittat, hac una de caussa, quia æ-  
gro potio illa amarior futura metuatur?  
Cur itaque quod in hominē, tamquam cru-  
deliter & inhumanè factum, reprehendere-  
mus; illud à Deo petere, non dubitamus?  
Verumtamen uti æger Medico, amaras sibi

N 7

po-

potiones præscribenti, omniāque ad quæ  
afficitur subtrahenti, negantique nō irasci-  
tur, sed sostrum liberaliter persolvit: ita nos  
quoque cum divina voluntate non modò  
tum conformes esse decet, cùm nos affligit  
verùm curam quoque illam & sollicitudi-  
nem, quam pro nobis gerit, prolixè com-  
pensare debeimus. Nam si is qui cancro la-  
borat, Chirурgo gratias agit, eique pro  
membro abscisso, mercedem libenter tri-  
buit; cur non maiores gratias mereatur De-  
vs, qui mediis longè suavioribus adhibitis,  
ramet si ea aliquantūm nobis doleant, à gra-  
vioribus nos malis liberare solet, & expe-  
dire?

Ad solidiorem tamen consolationem  
nostram cedet, si DEVUM, non uti Medi-  
cum dumtaxat, verùm insuper uti Pa-  
treū amantissimum consideremus, atque  
de ejus nostri amore sincerè gaudeamus;  
nósque oblectemus, quoties ab ipso nos,  
uti filios dilectissimos, curari, castigari  
& corrigi sentimus. Beneficium namque  
non perinde certum semper est amoris si-  
gnum, atquè castigatio: cùm beneficia ex-

tra-

traneis quoque præstari soleant, castigatio autem non nisi filiis adhibetur. adeoque justum est, ut jucunditatem nobis afferant certissima isthæc indicia, quod de domo sumus ac familia DEI; & quia ita nos tractet, maximam ipsi gratiam habeamus. Liberi cum parvuli sunt, & à parentibus castigantur, graviter id sentiunt & lacrymantur; grandiores verò facti & prudentiores, beneficium se accepisse fatentur: & si quando remissiores fuerint parentes, de eorum deinde indulgentia, nimirumque sibi concessa licentia queruntur. Filium suis se ferunt, qui ad furcam condemnatus, jam scalis vicinus, parentem suum advocaverit. Hic cum in ultimos rueret filii amplexus & oscula; nasum parentis mordicus ille abstulit, hac ratione blandicias ulturus, quas puerο sibi nimias adhibuisset, & quod pro merito perulantiam suam non castigasset, hoc dicto addito: Huc me lenitas tua adduxit. hoc dedecus infamiamque incurri; quia tam solutè & liberè habitum passus es, quod meo-cumque animo libitum fuit,

fa-

quæ  
asci-  
nos  
odò  
igit,  
udi-  
om-  
o la-  
pro  
tri-  
De-  
itis,  
gra-  
pe-  
em  
edi-  
Pa-  
que  
nus;  
os,  
gari  
que,  
s si-  
a ex-  
tra-

facere <sup>a</sup>. Quid porrò aliud agimus, dum corrigi à DEO castigarique recusamus, nisi ut non suspendio, sed apud inferos incendio pereamus? Quid quærimus tandem? Caussamne fortassis cum DEO expostulandi, quia ad nos non attenderit, & graviora meritos, leniter saltèm castigare neglexerit? Ea verò intolerabilis foret blasphemia, in DEO improbare, quod ab homine, in filium suum animadvertente, rectè factum judicaremus: aut non de prædicare & celebrare DEVUM facientem, quod cùm parentes naturales prætermittunt, maledictis lacerantur. Millies ipsi nos benedicere deceret, cùm insigniter ab eo affligimur; & laudare, gratiasque agere, quod nostri meminisse, commodaque nostra procurare dignetur: exultare etiam in ipso, & exploratâ certaque spe salutis nostræ; quoniam à tam perito Medicō sanemur, à tam bono Parente curemur.

Maximas præterea DEO gratias debemus, & in eo conquiescere, quod manum nobis

<sup>a</sup> Inter Aesops fabulas de matre id habes. Indulgentia patentum nimia quam liberis noxiæ, Heli se docet 3 Reg. 2, 16<sup>o</sup> q. cap. David 2 Reg. 13, aliquæ sine numero.

nobis suam admoveat, faciatque, quod nos  
met-ipsos alioqui facere oporteret. Dece-  
bat utique, ut peccata præterita expiare-  
mus, adversus præsentia muniremur, & an-  
teverteremus futura; DEVM item patientiâ  
nostrâ demiceri, & tolerando, nôsque in re  
quapiam vincendo, ejus operæ insigne præ-  
mium exspectare debebamus: at verò nos  
hoc in negotio perquam solutè & oscitan-  
ter agimus. quin igitur millies, iterumque  
millies laudem DEO gratiâsque dicimus,  
qui, ne lucrorum tantorum jacturam facia-  
mus, eas nobis pœnas irrogat, quas sponte  
nostrâ amplecti nos oportebat? Verum-  
enim-vero quia usque ed vecordes pavidí-  
que sumus, ut carnem nostram nobis subji-  
cere, gustuique & voluntati propriæ con-  
tradicere vereamur; præclarum est Divinæ  
Majestatis erga nos beneficium, hoc ipsum  
facere non dignantis. Siquis serpentem  
videret vicinum sibi, morsumque virulen-  
tum jam-jam impressum, nec tamen pel-  
lere eumdem aut occidere auderet, a-  
liusq; aliquis interveniret qui id faceret; ex-  
cellētis hoc gratiæ loco habiturum ipsum,

mani-

manifestum est. Illud ipsum Deus præstat, rebus adversis molestisque, quibus carnem voluntatēmque nostram domat; venenatum istum serpentem, quem in sinu & pectore nostro perpetuò circumferimus, mactando. Revera si aliud afflictionibus commodum nullum inesset, quam quod per eas fiat, ut voluntati nostræ non obsequiamur; vel unum illud foret inestimabile: verum insunt præterea multa alia, immo omnia illa commoda, quæ ex Mortificatione provenire, suprà<sup>b</sup> dicebamus. propter quæ Christus ipse, Sapientia æterna, quique optimè nōrat reprobare malum & eligere bonum<sup>c</sup>, sibi, Apostolisque suis & amicis intimis, laboris, molestiarūmque & afflictionum refertissimam vitam elegit.

Si quidquid hactenus differui, virium nondum satis haber, ut tribulationes, ab amica, benigna & blanda Optimi Patris nostri manu profectas, æquo, immo vero gaudente etiam ac libente, animo acceptemus; non video equidem, quid argumento & demonstrationi jam-jam proponendæ respondere possimus.

DE-

<sup>b</sup> Capite 18. <sup>c</sup> Isaiae 7, versu 15.

Deus infinitè bonus est, qui nos amat, & bonum nostrum infinites amplius desiderat, quam ipsimet nos amemus, bonumque nostrum desideremus. Deus infinitè quoque sapiens est, & quid expediat, longè melius quam ipsi nos, cognoscit: adeò, ut errare in eo, fallique non possit. Deus item infinitè potens est, ita ut nullatenus potentiae sit defectus, quod à tribulationibus nos nostris non liberet. Quando igitur Deo non deest facultas, quando præterea ad commoda nostra procuranda, & in eo, quod nobis cónvenit, confirmandos nos ac stabiliendos, amore, ratione, sapientiâque abundat, & nihilò tamen secius è miseriis nos nostris malisque nullo modo eximit; evidentissimum argumentum est, salutem ab iis nostram, semper tamenque felicitatem dependere. Quare nisi quis DEVM blasphemet, eumque malū esse dicat, aut quid fiat nescire, aut non omnia posse; de eo quod sibi evenit, queri sanè non potest. Ac licet sensus nos nostri impedian, quò minus præcipua tribulacionum emolumenta cognoscamus; ex fidei  
tamen

tamen placitis & ratione regamur oportet. Et quæso, utri plus tribuendum fidendū in que putamus, affectuine nostro, à quo toutes decepti sumus; an DEO, qui ipsa est Veritas? sique sensus nobis noster dicat, DEVUM pro bono malum immittere, cui potius asfentiemur?

Verùm ut gratis demus, etiam malas esse tribulationes; nec tantorum, uti verè sunt, commodorum feraces, neque nos per eas emendari; potestne excogitari aliquid, cui jurè æquemus comparemusque illam hominis tribulati cum DEO societatem: dissentè ipso met affirmante & testante, *cum ipso esse se in tribulatione d?* idcirco qui illam fugit, DEVUM fugit; qui abjicit, DEVUM ipsum abjicit. Si in rudi impolitaque capsa aut theca, pretiosissima gemma servaretur, thecam nemo abjecturus esset, eò quod tantum inibi premium absconderetur: si quis tamen thesauri latentis conscius, thecam nihilo-

*d Ps. 90, v. 15. Vide P. Petri Ribadeneiræ de tribulationibus  
hujus seculi libros duos, Drexelii Gymnasium Patientia,  
& Autorem de adorat. in spirit. & verit. lib. 1, cap. 18; lib. 2,  
cap. 5, 6, 7, 11, atque alibi, saepe & bene ea invenientem, quæ  
serio cogitata, patientiam utique perstringebunt.*

nihilo minus abjiceret; is non hanc modò, sed gemmam etiam, quæ illâ clauditur, a-spernari censeretur. Quare si in tribulatio-ne Devs reperitur, ipsum in ea venerari æ-quum est, sicque statuere, quando eam contemnimus, ipsū immet à nobis DEVM contemni. Hæc cauſſa est, cur afflictos idem Devs audiat, illorū mque orationes sint ef-ficaciores; cùm ipsum velut domi suæ ha-beant. neque liberalior umquam ejus erga nos solet esse misericordia, quām cùm ma-ximè miseros nos esse conspicit & æru-mnosos.

Sit suus itaque veritati apud nos locus, fateamurque libéter, Calamitates & tribu-lationes, quas malas appellamus, tantum revera bonum esse, ut, quò Devs illas bono commodóque nostro, uti fit, immitteret, DEI Filium mori necessum fuerit: adeoque easdem tamquam beneficia, magno pretio à DEO comparata, & veluti singulares, no-stræ ad æternam beatitudinem prædestina-tionis, effectus atque instrumenta, grati in-tueamur. Sanctus Ioannes Chrysostomus majori Iobum præmio dignum facit, ob u-nicam

nicam in miseriis suis cum divina voluntate conformatioinem, quām quo tempore plurimas maximāsque eleemosynas distribuebat<sup>e</sup>. Addit hoc amplius Gerson: hac eum conformitate amplius meruisse, & plus in hoc verae virtutis habuisse, quām si omnes facultates suas, rem nullam sibi retinendo, pauperibus erogāsse.<sup>f</sup>

Quæ si fortè nondum perfectè cognoscimus, aliquantulum saltē Parenti nostro & Amico optimo fidamus; neque id quod nobis donat, tametsi sensibus malum videatur, idcirco repudiemus. Alexander Magnus tantum suo tribuebat Medico, ut quantumvis hic accusatus esset, quod venenum sibi porrigere cogitaret, poculum tamen sumserit, hauseritque imperterritus<sup>g</sup>. Credamus nos ergò Deo, cui haud dubiè multò cariores sumus, quām nobis ipsis esse possumus; quique nos more solliciti amantissimique Patris benevolentissimè curantur neque quidquam nobis adversi accidit,

quin

<sup>e</sup> Chrysost. de patientia Tob, homilia 5, sub initium. <sup>f</sup> Gerson Centilogio de impulsibus, decade 5. <sup>g</sup> Chrys. lib. 3, cap. 10; Valer. Max. lib. 3, cap. 8.

quin illud & sciat ipse , & in bonum no-  
strum sapientissimè clementissimèque or-  
dinat ac convertat. Quippe si respicit vo-  
lucres cæli, ipsoque infacio aut invito, una  
*ex illis non cadet super terram<sup>h</sup>:* & si capilli  
capitis omnes numerati sunt <sup>i</sup>; laborum af-  
flictionumque , quas filiis suis , sponsis  
& electis suis immittit, quo demum modo  
curam nullam geret, turpitèque eorum-  
dem obliviscetur ? qualiter eas permitte-  
ret , nisi in maximum id ipsorum bonum  
cederet & emolumentum ? Plurimum  
refert , ut quis penitus veritatem hanc  
sibi persuadeat : estque firmissimum fun-  
damentum, ut in rebus quæ eveniunt o-  
mnibus , resignati, optimèque contenti  
simus ; bene intelligere , quod VNI-  
VERSA à DEI manu proveniant , & ab i-  
psiis providentia sint ordinata : quodque  
idem Devs, in bonum nostrum , non mala  
solùm, offensas, injurias & damna , quæ ab  
aliis nobis inferuntur, permittat ; verùm ad  
actum quoque naturalem, quo ista fiunt, o-  
mnipotentiâ suâ concurrat. Cùm linguam  
quis

<sup>h</sup> Matth. 10, v. 29. i ibid. v. 30.

quis movet ad convitiis nos proscindendos, Deus illam commovet. Cum manum attollit alius ad nos verberandos, Deus illam roborat, usque adeò, ut ad res omnes (non tamen ad malam operantis intentionem pravumque animum, hoc est, peccatum) concurrat Deus: verum peccata permittit solum, eaque deinde in bonum commodumque nostrum disponit & convertit. Atque hoc pacto, cum minaretur Davidi, adulterium se ipsius, Absolonis filii incestu, aliisque domesticis suorum flagitiis castigaturum, dicebat: *Ecce EGO suscito super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.* - Tu fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis. idque in causa est, cur per homines Deus nobis immittat, quod ad correctionem castigationemque nostram prodesse, Divina ejus Sapientia sollertiafissime perspicit.

Ve-

k 2 Reg, 12, v. 11 & 12. Si obscuriora hic tibi aliqua, amabo te, consule Heliotropium Drexelii, & Rodericii Tract. de conform. voluntatis humanae cum divina, qui est ultimus part. innumquam satis laudandi Operis, Exercitii punctionis.

Verum nos jam hoc in negotio commo-  
dum præcipue utilitatemque nostram at-  
tendimus; fideles tamen DEI servi, ipsum-  
que sincerè & eximiè amantes, proprio rem  
quamque emolumento metiri haud solent.  
Ad capiendam ex omnibus quæ DeVS facit  
voluptatem, satis supérque est, scire quod  
potenti adeò bonoque Domino sic place-  
at: cuius beneplacitum, etiam sanguinis vi-  
tæque nostræ impendio, procurare nos o-  
portebat. Quantulum istud est, quāmque  
parvo pretio parabile, pauxillum ut ego pa-  
tiar, quò se DeVS ipse oblectet? Hunc sequi,  
nōsque cum sanctissima ejus voluntate  
conformare, quando gustui illa nostro  
consentanea nobisque proficia est, com-  
modumque nos in eâ nostrum clarissimè  
cernimus; id verò parum habet admiratio-  
nis. Sequenda tunc quoque est, cùm tam  
apertè id non videmus, rēsque cupiditati ac  
desiderio nostro prorsus adversatur; in o-  
dum Heliotropii, cum sole se, non sereno  
solum, sed èr nubilo die circumagentis!  
Abundè hoc in omnibus rerum eventis

O suffi-

<sup>1</sup> Plin. lib. 2, cap. 41; & lib. 22, cap. 21.

sufficit, DEO quidpiam placere gratumque esse ; ut verissimè dictum sit à S. Ioanne Chrysostomo: *Si omnino dignus fueris, agere aliquid, quod DEO placeat ; aliam adhuc præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris? Verè ignoras, quantum bonum sit, placere DEO: si enim scires, numquam aliud aliud extrinsecus mercedis aut muneric expeteres.*<sup>m</sup>

## C A P V T XXVI.

*Quibus in rebus nos cum Divina  
Voluntate conformare debeamus.*

**A**Ge videamus nunc, quibus in rebus Dei nos deceat conformari voluntati. Eas ajo esse res omnes, quæ à benigno ipsius manu, quæ mediatè, quæ irmediatè, hoc est, quomodo cumque proveniunt, atque aliquam nobis molestiam creare possunt. Primo itaque locum habeat oportet nostra hæc cum divina voluntate conformatio, in rebus quæ nobis desunt : item in vitæ hujus necessitatibus, in humilia-

tio-

<sup>m</sup> Chrysost. lib. 2 de compunctione cordis, mili pag. 594.

tionibus, in falsis testimoniis, in publicis  
privatisque nostris, & eorum quibus bene  
volumus, damnis ac calamitatibus: Deo  
immenas gratias agendo, quod, cum nobis  
animus deesset, ad nos vitæ IESV Christi  
conformandos, ejusque paupertatem mun-  
dique contemptum imitandum, ipsius Ma-  
jestas nostram id vicem præstiterit, Vnige-  
nitóque suo similes effecerit, atque à rebus  
terrenis & vitæ hujus tam pericolosis pro-  
speritatibus potenter abstraxerit avulserit-  
que.

*Secundò.* Conformatio nostra exercenda  
est, in infirmitatibus & doloribus corporis:  
eodem modo gratias eidem Deo agendo,  
quod pœnas peccatis nostris debitas supple-  
re ipse voluerit, ne multum in altera vita lu-  
endum supereisset: qua in re insigne meri-  
tum, & singularis quidam favor benevolen-  
tiaque reperitur. Ecquis non gaudeat, si  
mille ducatos debens, pro iis solvere  
queat, cum sibi commodissimum est, &  
quidem monetâ minimâ? Omnes pro-  
pter peccatorum nostrorum pœnas, Deo  
debitores sumus. si jam solutionem ad

Purgatorium procrastinemus ; magno ea dilatio nobis stabit , ob suppliciorum istic preferendorum magnitudinem : quæ si in hac vita anticipare velimus, levi id fiet negotio, ab iisque quamprimum , & egregio cum nostro compendio & quæstu libera- bimur. Pœnæ etenim Purgatorii maximæ sunt; neque illis ita facilè satisfit, ut in hac vita re aliquâ modicâ. Adde, quòd tantos cruciatus sustinendo , nihil admodum me- reamur: quidquid verò in hac vita patimur, ad alterius vitæ pœnas collatum , perexiguum sanè & minutum est, eoque tamen ipso plurimum & satisfacimus, & promeremur: quæ dubio procul maxima est DEI clemen- tia, ita res disponentis, ut in hac, non alterâ vitâ patiamur. quare decet nos conforme- mus ei , quod nobis in primis est salu- tare.

Tertiò. Divinæ voluntati penitus con- sen- tiendum in privatione gustuum spirituali- um, in ariditate, scrupulis & tentationibus, quas Devs ; ad exercitium majusque meri- tum nostrum, etiam in personis admodum sanctis & spiritualibus, solet permettere, eos- dém-

démque, post multos , cum summa animi  
pace singularique fervore transactos annos,  
quasi ad prima suæ conversionis vitæque  
sanctioris initia & rudimenta revocare. ni-  
mirū quia frequenter usuvenit, ut, ad nos in  
humilitate conservandos , ita fieri omnino  
conveniat. Quare non est quodd propterea  
turbemur, aut immodicè cruciemur : sed  
annihilando nos, & in abyssum ac profun-  
dum nihili & miseriae nostræ nos demitten-  
do, in omnibus sanctissimæ ipsius disposi-  
tioni acquiescamus, atque ex animo gratias  
agamus, quod sumtu tam exiguo, pœnâque  
tam parvâ, à malo culpa maximâ, qualis  
profectò est superbia & perditio nostra, de-  
fendere nos dignetur salvosque præstare:  
tum etiam, quod otiosos esse nos nolit, æ-  
mulosque dare, quos vincendo, nobiliori  
ab ipso in cælis corona insigniamur. Omni-  
bus itaque viribus, cura atque sollicitudine  
omni entendum nobis est, ut Dei volunta-  
tem exsequamur, & ad mortem usque pa-  
tiamur. Beato Iacopono adeò cum Deo  
conveniebat, si omnibus consolationibus  
sensibilibus, etiam interioribus, destituere-

O 3 tur,

tur, adeóq; hac in parte paterno DEI amori acquiescebat, ut diceret, clarum divini erga se amoris argumentum sibi fore, si, quod maximo affectu peteret, id ab illo sibi de-negaretur. Desiderabat ille quoque, ob Ma-jestatis istius amorem, omnia mundi tor-menta, quin ipsa etiam Inferorum suppli-cia tolerare. Hæc tam illustris, gustūs amo-risque proprii victoria, pacem tranquillita-tēmque Viro sanctissimo admirabilem pa-riebat.<sup>a</sup>

*Quartò.* Humana voluntas ad divinā con-formanda est, cum sibi quis à DEO planè de-relictus videtur & desertus, neque id solùm secundùm inferiorem animæ partem, ubi scrupulorum & tentationum molestiis mi-serrimè affligitur, verùm etiam secundùm partem superiorem; quando nimirum ani-mum, ut solebat, affectumque nullū homo sentit ad bene operandum, aut pro DEO pa-tiendum & resistendum; eò quòd nullas in-tellectus percipiat illustrationes, nullos vo-luntas pios motus, proposita, alacritatem, robur ac patientiam: quando anima tota,

velut

*¶ Raderus noster Viridarii parte 2. capite 3 fusè.*

## CAPV T XXVI.

319

velut tetris nubibus obducta, arida & exsuc-  
ca, nō nisi summa vi, atque cum dolore, cor  
ad cælum potest attollere. Hoc quippe mo-  
do Devs sanctas aliquando animas exercere  
consuevit, estque illud inter maxima omni-  
no tormenta, quæ in hac vita tolerari pos-  
sunt, numerandū, longè enimvero acerbi,  
quām crudelissimi, quos umquā ullus Mar-  
tyrum in corpore suo pertulit, cruciatus.

Isto tam tristi perturbatōque rerum sta-  
tu, dare nihilo-minus operam oportet, ut  
sine dolore, certè sine querelis simus, &  
cum divina voluntate conformes, déque  
tanta desertione minimè tristemur. noxi-  
et enim potest esse hæc talis tristitia, si ab a-  
more proprio nascatur, & in maximam  
pusillaniitatem desperationēmque ad-  
ducere: sed neque viribus industriaque hu-  
manā è Purgatorio isthoc spirituali, ubi a-  
nimam in hac vita Devs attinet, eluctari  
quis potest & evadere. Illud unum tali in re  
act tempore optimum factu est, ut magis se  
quis ne agisque in profundum nihili sui de-  
merget, inque divinas manus penitissimè  
resignet, & omni se bono indignū fateatur,

O 4

infi-

infinitæque gratiæ ac benevolentia divinæ  
adscribat, quod non pro eo ac merebatur,  
apud Inferos ardeat. Ac licet in eo se loco  
quispiam & conditione constitutum esse  
deprehendat, ut neque orare, neque Deo  
gratias agere, neque alium ullum internum  
virtutis actum exercere sibi posse videatur;  
hac se tamen ille cogitatione unâ soletur,  
Dei se, non suam implere voluntatem, &  
posse se semper velle quod vult Deus. Licet  
etiam in actibus resignationis, \* positivè &  
re ipsa eliciendis, parem molestiam diffi-  
cultatemque experiatur: numquam tamen  
Deo resistat; sed negativè se habeat, sinen-  
do Deum facere, quod ejus Majestati pla-  
cket, & coram ipso quam profundissimè se  
demittat, profusque annihilet. Examinet se  
item, numquam culpâ aliquâ suâ caussam  
desolationi huic (id quod majore cum peri-  
culo conjunctum est) præbuerit; deque ea  
culpa, non autem de poena, sincerè apud a-  
nimum suum doleat. Verum desolationes  
istæ sæpen numero existunt absque omni ho-  
minis

\* consultò & libenter istis schola vocibus hic atque aliis  
utimur, ut tanto melius intelligamus.

## CAPVT XXVI.

321

minis culpa, singulari Providentiae Divinae  
dispositione, Sanctos aliquos probare va-  
lentis, ut videat, veréne se, pureque & per-  
fectè ament, suoque obsequio dedicent; &  
num prompti parati que sint, ad sibi non gra-  
tis tantum, & absque solatiorum divino-  
rum stipendio serviendum, verùm etiam  
quoties asperè duréque habentur. Si enim  
divina Lex ipsos jubet *inimicos diligere*<sup>b</sup>, qui  
nos offendunt & lèdunt: DEVM, bene no-  
bis volentem ac faciente m, cur non diliga-  
mus, eique fideles simus, tametsi severum  
se ostendat atque inclementem? quod ma-  
lo ipse iratóque animo nequaquam facit,  
sed ideo, ut in Angelorum corona, de fideli-  
tate sinceritatéque nostra possit gloriari.  
Canem videmus, propter ossa paucula, quæ  
ipsi rodenda objiciuntur, eâ adversus herū  
suum fide esse, ut, tametsi hic illum abigat  
fustemque impingat, sequitamen eumdem,  
& blandiri adularique non desinat. Quem-  
dam certè fuisse constat, qui Canis, quem  
aluerat, fidem amicis & familiaribus de-  
monstraturus, ipsis præsentibus ad se ac-

O S

cerfe

<sup>b</sup> Matthæi 5. v. 44.

ceratum illum, fœdum adeò in modum  
fustibus cœpit contundere, ut ossa con-  
fringeret: eo deinde relicto mox disce-  
sit. Canis attamen semi-jam-mortuus,  
& corporis reliquias quoquo modo tra-  
hens, herum crudelem sequi, illique  
alludere & delicias facere perrexit<sup>c.</sup>  
Quantillum itaque facimus nos homi-  
nes, parem D E O & Servatori nostro  
fidem præstando? qui tantopere nos  
honoraturus, atque gratum Angelis spe-  
ctaculum factos, coram ipsis integrita-  
tem sinceritatēmque nostram est depræ-  
dicaturus, & narraturus quām præcla-  
rè de se sentiamus, sanctissimique Iobi  
exemplo, quocumque rerum successu, ex  
animo veréque amemus.

Caveat tamen diligenter anima,  
quotiescumque asperiorem sibi D E V M sen-  
tire

<sup>c</sup> De Canum fide vide S. Ambrosium lib. 6 hexam.  
cap. 4; Tlinium lib. 8, cap. 40 toto; Scaligerum  
Exercit. 206, num. 6; & Lipsium Centur. 1 ad  
Belgas, epist. 44. De aliis animalibus paria habes  
apud P. Ioan. Baptistam Samet-Iure de cognit. &  
more Christi lib. 1, cap. 7, sect. viiiic.

CAPV<sup>T</sup> XXVI.

323

tire videtur , ne propterea existinet , e-  
jusdem se gratiâ benevolentiaque exci-  
disse : nam longè aliter res habet . at-  
que ut concedam ipsi & largiar , etiam  
excidisse ; adhuc non habet quamobrem  
honestè conqueratur : quandoquidem  
benignius molliusque tractari non mere-  
tur , quām Filium sibi carissimum tra-  
ctaverit Pater Æternus , quando deser-  
tus ab omnibus planēque desolatus , in-  
fandos inter cruciatus , ex infami ligno  
pendebat . Tunc temporis Christus ipse à  
Patre se derelictum fuisse , palam professus  
est <sup>d</sup> : eaque nocte , quā capiendus erat ,  
cœpit contristari & mæstus esse ; idque adeò ,  
ut , Tristem esse animam suam usque ad mor-  
tem <sup>e</sup> , hoc est , mortiferâ tristitiâ confici se ,  
excruciarique affirmaret . Quorū statu  
sine dubio tedium fastidiūmque maxi-  
mum suscipere in se voluit : illudque i-  
psum , quod optabile priùs & facile ap-  
parebat , tantaque gestientis animi vo-  
luptate cogitabatur , ut diceret , vehemen-  
tissimè se exoptare tempus ac diem illum ,

O 6

quo

<sup>d</sup> Matthæi 27,v.46. <sup>e</sup> Matth.26,v.37 & 38.

## 324 VITÆ DIVINÆ

quo baptizari deberet baptismō dolorum, à  
vertice nempe ad talos usque pœnis tor-  
mentisque variis repleri; & coarctari se, ani-  
mumque suum affligi, quod desiderii istius  
expletionē proferri dilatarique videret<sup>f</sup>: il-  
lud, inquā, ipsum, acerrimo nuper summō-  
que studio concupitū, usque eò deinde, in  
nostrī lāguoris debilitatisque solatiū, fastidi-  
vit, ut Caro pati detrectaret, quod flagratis-  
simis antea creberrimisque votis Dominus  
expetiverat. Verum tamē in desolatione hac  
tali tædiōque admirabili constitutus, pro-  
fundissimè nihilo-minus, si umquam aliàs,  
defixam animo suo hærere prioris decreti  
propositique radicem, & interius divinæ  
virtutis fundamentum, apertissimis ipse cla-  
risimisque argumentis planissimè ostendit.  
Hinc factum est, ut ingenti magnóque ani-  
mo suum illud repeteret: *Non mea voluntas,*  
*sed tua fiat*<sup>g</sup>; atque ut singulari cum alacri-  
tate hostibus obviām progressus, intrepidè  
discipulos compellaret dicerētque, *Surgite,*  
*eamus*<sup>h</sup>: lætior, scilicet, paratiōrque ad tra-  
dendum se in manus inimicorum, à quibus

tam

*f* Luka 12, v.20. *g* Luca 22, v.42. *h* Matth.26, v. 46.

tam amarum lethiferūmque sibi calicem  
porrigendum non ignorabat, quām ipsi-  
met essent ad capiendum; illustrissimum  
nobis hac ratione utilissimūmque exemplū  
relinquendo, quo nos modo, desolationis  
ariditatisque tempore, gerere debeamus.

Plurimūm sanè refert, (juvat etenim plu-  
ribus istud inculcare) ne consolationes in  
Oratione putidē quærantur, magnōque in  
discrimine versantur, quicumque easdem  
quærunt. Eām ob cauſsam non possum,  
quin hoc loco subjungam salutarem impri-  
mis, atque utilem doctrinam Venerabilis  
Patris Ioannis de Avila, ita loquentis ac  
consulentis: *Abnega, inquit, totum id, quod te*  
*ad gustum & delectationem invitat: neque eam*  
*procura antē, quām detur à DEO. Exercitatio*  
*tua & occupatio sit, purè & absque solatio, in le-*  
*cctione pia, in precibus, pœnitentiis, confessionibus,*  
*communionibus; in obedientia & aliarum virtu-*  
*tum actionibus, pro Christo pati: sic enim recto i-*  
*tinere contendes, procul ab omni aberrandi peri-*  
*culo. Hæc nimirum via est, quam DE! Filius ho-*  
*minibus monstravit: hæc illa Crux est, quæ clavis*  
*instar, cælum aperit omnibus, qui eam secum por-*

O 7 tant.

tant. Bone DEVS, quām Tibi pauculi, quām sibi-  
ipsis serviunt multi! Quot sunt sui-ipsius amato-  
res, qui post te ambulare se dicunt, & ambulant  
post se-ipsos! Hæc velim unusquisque consideret,  
stude atque divinæ se voluntati conformare. illam  
pro fine habeat, non suas voluptates, sive oret, sive  
confiteatur, sive communicet, sive quodcumque a-  
liud sanctum exercitium obeat. At subtilem hinc  
fraudem cernere est, quā multos ita captos vidi, ut  
intemperanter incredibilique cum desiderio, acce-  
dere gestirent ad sanctissimum Eucharistie Sacra-  
mentū, non ad fructum percipiendū, qui in Sacra-  
mentorū Ihsu spectandus est, & ob quem à Christo  
Domino sunt instituta; sed ut delectatiunculis suis  
ac lacrymis potirentur. Mella sectatur isti in rebus  
divinis, non verò Crucē, quæ sola salutē est datura;  
clareque itidem demonstrant, & nihil se proficere,  
& sodalibus præterea suis occasionem præbere, ne  
proficiant: quæ mala si quis optat effugere, solam  
querat DEI voluntatē, & contemnat cetera. O  
Amor proprius & philautia, quām verè in  
caussa es, ne vitiis suis careant vel ipsæ res  
spirituales! Pulcritudo utique illa, quam Lucifer  
in cælis desiderabat, spiritualis erat: sed  
quoniam ipsi non conveniebat, nec divinæ  
eam

eam volūtati permittebat, fulminis instar è  
cælo dēcidit; & voluptatē quærēdo, in mi-  
seriam īcidit sempiternam, suāque amisit,  
dum ad aliena miser aspirat. Quibus, obse-  
cro, rebus adductus DEI servus, quietem af-  
fectat animi, excellentiam sanctitatis, atque  
abundantiam gratiarum: Num fortè, ut si-  
bi-ipsi placeat, quando bene sibi esse adver-  
tit? an, ut placeat DEO? Hoc posterius si spe-  
ctat; tunc hominem DEO placere sciat, cùm  
illis contentus est, quæ ab ipso dantur: non  
autem, dum in iis conquiescit, quæ propriæ  
cupiditati blandiuntur. Si, DEO ita volente,  
desolationes tibi accidunt, si persecutio-  
nes ac mœrores, & mille incommoda alia valdè  
affligant, tūque interea bono sis animo;  
tum enimvero DEI te voluntati studere  
probabis, non tuæ. Lacrymas ipsorum A-  
postolorum, & quem præferebant amo-  
rem, nomen ac titulum amoris mereri  
Christus negat: amorem autem appel-  
lat, si Crucem suam, & absentis desi-  
derium patienter ferant. Si diligeretis mē,  
ait, gauderetis utique, quia vado ad Patrem<sup>i</sup>.

Ama-

<sup>i</sup> Ioan. 14, v. 28.

Amare, est pati: amare Christum, est beneficiis malefacta compensare. Melius de Deo sensisti, quando pressâ irâ injuriam accepisti, pœnam lætus subiisti, molestias vexationesque pertulisti, quâm cùm lacrimatus es, cùm consolatione plenus, & extra te raptus fuisti. *Hoc sentite in vobis*, inquit beatissimus Apostolus, *quod & in Christo IESV*<sup>k</sup>. Quod verò illud? contemptum, paupertatem, humilitatem, abjectionem, qualēm sensit ille, qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO: sed semet-ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo<sup>l</sup>. Hic sensus est Christi: reliqui sensus sunt humani. Sensus Filii DEI, isque nullo modo fallax aut mendax, est perfere pœnas, cruciari & affligi: sensus verò carnis, pascere se delitiis spiritūs, haud quam immodecè expetendis, nisi minimè quæsitæ à divina liberalitate spontè offerantur. Tu da operam ut velis, quod vult Deus; atque tum demum securus tibi persuade, lacrymas tuas & devotionis, quam sentis

<sup>k</sup> epist. ad Philipp. 2, v. 5. libidem. v. 6. & 7.

sentis, teneritudinem utilem esse, nihil hæsitans, rectâ te viâ ambulantem, nusquam offendere aut titubare. Quæcumque ad hanc normam & regulam exacta non sunt, mille crede erroribus fraudibüsque obnoxia. Fit quippe per frequenter, ut vehementes isti spiritus atque erga DEVUM affectiones, ex sensuali & imperfecto animo proveniant. verè enim DEVS, uti par est, non amat; sed sensus ille & gustus sensibilis, qui dulcedinem istam & gaudium efficit circa DEVUM, & non circa divinam voluntatem. Non abnegarunt se istiusmodi homines, nec sibi renuntiârunt, hoc uno ceteroquin modo apti futuri ad mandatorum divinorum observationem, quæ à vera caritate proficiscitur. Quantum suavitas illa perseverat, tantum proficiunt, nec hilum amplius. Simulatque ea evanuerit; tum verò repente videoas iratos, inquietos, prudentes ad malum, in bono languidos, ad virtutia effrenes: è quibus facilè conficias, quod ajebam, eorum amorem non DEVUM spectasse, sed ipsofmet; & consolatiunculae istius bolum magis in pretio fuisse, quam Christum.

Hi

Hi tales simillimi sunt infantibus, quibus, ut flere desinant, dulciaria mellitásque placentas præbemus: & cessant sanè illi quamdiu comedunt, verùm à cibo ad ejulatum mox suum redeunt, manifesto documento, non Patris imperio, sed brevi illâ gustûs illecebrâ captos, lacrimas se tantisper continuisse; nec obedientiæ, qualcumque moderationem istam, sed gulae commodique proprii studio, ex integro tribuendam esse. O quot hodie reperiuntur ejusmodi parvuli, Deo immorigeri! qui si fortè contentiosè aut injuriosè non agunt, si non murmurant responsantve, si ab inutilibus fabulis & maledictis abstinent, si temporis rationem habere videntur, non id propterea faciunt, ut Deo placeant, ejusque iusta impigrè exsequantur; sed quod aliquod devotionis dulciarium pro voto acceperint, cuius interim gustu occupantur. Aufer illud, & nullo negotio observabis, lacrimas & desideria ista non amoris divini fuisse, sed proprii: ita enim DEVVM offendunt & contemnunt, ut hac cessante dulcedine, totus quoque ille qualiscumque

amor

amor cesseret. quasi verò in prosperitate, rerūmque omnium abūdantiā, amicitiæ sinceras cognosci queat, & non potius, cùm laboribus, egestate, multiplicique malorum ac miseriā genere oppressi jacemus. Nolim te nescire, ô bone, homines s̄æpe leves, nullius animi, & à Spiritū sancti gratia inopes, majori ex parte, atque ut plurimum, spiritualem hanc dulcedinem, interiorēmque affectum persentiscere, quem sinceri DEI amici non semper in se experiuntur: fierique affolet, ut facilius talibus permeatur is qui minūs profecit, & imbecilliore abjectiorique est animo, ac perfectæ consolationis naturam ignorat; idēoque devotionculæ cuiuspiam sensu oblato, continuò illum amplectitur, perinde ac si vera eo vita contineretur.

Illud sedulò item diligentērque animadvertisatur oportet, suavitatem hanc & devotionis affectum, frequenter non ex copia & abundantia gratiæ proficiisci; sed arguere animi, illius inopiâ laborantis, extremam paupertatem. Quis miretur, exiguâ & minimi valoris

re-

reculâ plurimùm delectari pauperem? Exempli caussâ, Si vini generosioris haustum offeras homini, qui satis jam supérque biberit, parùm illi gratum facies, nihilque admodum recreabis: at verò eumdem sitibundo si dederis & vehementer désideranti, mirifico hunc gaudio exultantem conspicies. Similiter qui ebrii non sunt plenique vino divinæ caritatis & gratiæ, siquid in devotione suaviùs sorbeant, tanti id faciunt, ut jam sibi in cælo esse, & sempiterno ævo perfrui videantur. Ajunt, se à Deo visitatos; lacrimas suas mirantur, vehementerque lœtantur ac triumphant: cùm revera omnia ista modicum sint aut nihil. atque ut aliquid esse fateamur; fortassis, uti diximus, quidquid id est, à caritatis spirituſque indigentia progignitur. Qui autem in aſculo & genuino amore dives est, in tanto pretio non habet devotionem ſensibilem, neque illam ſibi finem constituit; ſed ad patientiam, ad mortificationem propriam, ad amorem crucis, ad tolerantiam injuriarum, & ad reliquas virtutes exercendas; ſibi que acquirendas eadem utitur: quod indubitatum signum

signum est, maximumque argumentum  
spiritus gratiaeque exuberantis. Hac ex  
causa observabis, hominem rectum & per-  
fectum, cum magnâ gratiae copia & spiri-  
tualium donorum libertate perfunditur, at-  
que a Deo vocatur, non respondere per i-  
stiusmodi sorbitiones & gustationes; sed a-  
lacritate quâdam & vigore animi interiore,  
qui vivo serioque, pro eo qui vocavit, pa-  
tiendi desiderio, & firmo divinam volun-  
tatem implendi proposito, decretoque ini-  
nititur. Ita Iob, *Vocabis me, inquit, & ego re-  
pondebo tibi* <sup>m</sup>. Et quomodo respondebis,  
vir patientissime? quomodo vero, nisi pa-  
tienter fortiterque tolerando res adversas,  
jacturam fortunatum, motbos, desertio-  
nes, plagas, paupertatem, tentationes Dæ-  
monis, & quidquid cruciat, aliasque virtu-  
tes strenue exercendo? Ita Paullus Aposto-  
lus, simùl Deum vocantem audiit, haud-  
quaquam ea respondit, quae puerilem aliquem  
ad consolatiunculas istas affectum ostende-  
rent; sed generosum planaque virilem ma-  
gni animi sensum testatus ajebat: *Domine,*  
*quid*

*in Iob 14. v. 15.*

quid me vis facere n? velut dicturus, Habe-  
mi Devs, voluntatem meam tuæ subdi-  
tam: in tuas ipsam manus integerimè  
consigno: Tu eam accipe, & quod lubet,  
impera. De vs deinde ipse, suum esse  
Paullum, & à se unicè dilectum atque ele-  
ctum, demonstraturus, Ego, ait, osten-  
dam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo  
pati o. Hoc nimirum est indicium fidelis  
Christi servi: hic verus titulus eorum, quos  
præ ceteris ipse diligit. produnt illos non  
dulciariola suavésque istæ affectiunculæ,  
sed magna in laboribus, in angustiis, infa-  
mia, falsis testimoniis, inopia, necessitati-  
bus, & iis omnibus quæ hominem affli-  
gunt, carnique ingrata ac molesta accidunt,  
magna, inquam, & invicta in hisce omnibus  
patientia. Illo pacto, Deo vocanti rectè be-  
néque respondetur. Divina etenim vocatio,  
insignia quædam ab eo quem vocat, & sin-  
gularia obsequia exposcit, nisi Conditori il-  
le suo turpiter velit esse ingratus. Quapro-  
pter tunc à Deo te vocari atque moveri in-  
telliges, cùm ipsi perfectâ divinæ volun-  
tatis executione & impletione responde-

Act. 9, v. 6. o ibidem, vers. 16.

bis,

bis, etiamsi propterea fortunarum, vitæ,  
& honoris præsentissimum periculum fo-  
ret subeundum. Hæc res una est, quæ ho-  
minem justum efficit perfectumque, & il-  
lustrem, ac IESV Christo similem, si non ni-  
si obiter, atque, ut ita loquar, per modum  
forbitiūculæ, in hac vita consolationes sen-  
tiat; perpetuus verò sit in exercitio Crucis,  
nec minimum in ejus amore intepescat.

Adverte præterea, Dæmonem dulcedi-  
ne nonnumquam & deuotione aliqua a-  
nimum demulcere, quò spirituali hac gu-  
la debilitatem magnam inferat carni: at-  
que ut animus sibi præfidens, multum fa-  
tigetur, verum credendo esse spiritum  
quem intus percipit; falsoque isthoc sapore  
illectus, immodice se exerceat vigiliis,  
prolixioribus orationibus, nimiis jejuniiis,  
& cibi somnique necessarii subtractione:  
quibus sine modo & mensura sanguis con-  
sumatur, atque ita hac inmoderatione, ex-  
ercitia utiliora Deoque gratiora impedian-  
tur. Ex quo capite alter quoq; dolus existit,  
ut anima, cùm his cōsolationibus abundat,  
perfecta sibi videatur. Hinc porrò negligens

cff.

efficitur, nec ulterius ad virtutes sibi comparandas contendit, de majore profectu nihil quidquam solicita; quia purissimo, si Superis placet, DEI amore veroque spiritu abundè instructa.

Sed in aliam quoque insaniam hi tales à Dæmone abducuntur: quandoquidem sapore hoc & suavitate spiritus (ut ipsi appellant) imbuti, in omnibus viæ vitæque spiritualis exercitiis aliud omnino spectant nihil, præterquam sensum devotionis, ac delectationem, in ejusmodi cupedias effusissimi, voluptatum suarum sordidi gulosique amatores & sectatores, nec finem habentes alium quam se-ipsos. unde sensim, justo Dei judicio, hic in gravia peccata, & post hanc vitam, in æternas tandem pœnas ac miserias labi permittuntur: quia excelsus ille Dominus humani cordis intentiōnem & profundum contuetur. Atque utinam, mi frater, cibi potusque delicias appetivisses potius, & carni tuæ, factus ventris mancipium, hoc delectationum genere satisfecisses! nam ex ipso tandem fastidio, malo tuo medicina nata esset. Utinam suavitatem

vitatem illam sensuum divinorum expertus  
numquam esses: quia futurum erat, ut aesti-  
mare eos nescires , atque eo loco habere  
quem merentur, virtuti, nimirum, patien-  
tiae, & Crucis exercitio eosdem postponen-  
do ! Sapor quippe iste prior forte num-  
quam in tantum te decepisset, ut ipse fieret  
finis operum tuorum ; cum ignorare non  
possis, certè non debeas , Magistrum no-  
strum Christum IESVM, Crucem sibi pro-  
positam semper habuisse, à Cruce vitæ ini-  
titum duxisse, & in eadem Cruce, amore tui,  
vitam clausisse: idque ideo , quod verus &  
germanus amor in virtutum lateat profun-  
do, turbidisque se rebus præcipue exserat.  
Atque hoc idem de reliquis affero virtuti-  
bus, sicuti si intimum sincerumque humili-  
tatis ac patientiae desiderium mentem ve-  
hementius accendat , notatur quampridi-  
um & apparet hic amor exterius; cum ea  
quæ dolorem adferunt , animo quieto &  
jucundo, aut saltēm non iniquo, tolerantur.  
quod ipsum si in Dei fiat gratiam, de amo-  
ris sinceritate nefas sit dubitare : alia vero  
omnia suspecta sunt, nec solido nixa funda-

P

men-

mento. Non paucorum hoc tempore sanctitas magnis constat desideriis in oratione, & magnis vicissim peccatis in conversatione. In illa deflemus Christi patientis dolores: at non diu post, fratribus nostris & proximis eosdem conamur infligere. in illa veneramur patientiam filii DEI: per iram deinde omnia facimus. in illa per horam unam silemus: post illam dies totos fabulis conterimus. Si planè de spiritu profectuque nostro loquendum sit, hoc unum impensè laboramus, ut silentio aliquo & oratione, ac cogitatione de Deo suscepta, velut pretio, ad solatia utamur & delectatiunculas hasce colligendas; tum verò posteà iidem ut sumus, qui antea facta est igitur & vana nostra sanctitas: numquam etenim crescit; neque id agimus, quod unum maximum est omnium, & in quo sunt omnia. Multi, pro dolor! multi hoc itinere incedunt, totoque idcirco cælo aberrant. Deus Opt. Max. iis misereatur & medeatur! Amen.

Res est profectò, quæ videntes meritissimò percellat & obstupefaciat, in tanta talic-

um multitudine , paucissimos esse , qui errorem suum agnoscant. Interroga illos, & vide, num quem ex omni turba reperias , qui non credat constantēque aſſeveret , ed quod tenerē aſſociatur & lacrimas fundat , perfectum jam ſe eſſe , pluriū sapere in rebus ſpiritualibus , eaque ſanctitate prädictum , quae non uni ſibi , ſed aliis inſuper ſufficiat: adeoque certa ſe & maniſta ſigna habere ac pignora ſedis , in felicissimo DEI regno aliquando ſibi aſſigitandæ. Omnis hæc temeraria & ſtulta confidentia riſcritur ē re admodum periculosa & multis communi , quae eſt defectus cognitionis veri ſpiritus DEI ; dum ſuę quisque opinioni adhæret , idque melius judicat , quod placet , quam quod oportet : & ſequendum ſibi ducem credit appetitum potius devotionis ſenſualis , quam ſpiritum & doctrinam Christi , präcipientis ut ſe in omnibus homo abneget , ut voluntatem ſuam divinæ penitus conformet , atque ut ſtudeat perfectæ ſui ipsius mortificationi . Hinc inferiores animæ vires pravæque cupiditates .

tam sunt vegetæ, feroceſ & iſolenteſ, ut  
miferiis iſtiſ obnoxiuſ, eſ ſeceſſu ſpirituali,  
in quem ſe abdiſerat, vix ad homineſ re-  
grediuſ, propriam continuo quærat æſti-  
nationem. Amabo te, mi frater, quid iſtuc rei  
eſt? Ibi ſolitudiniſ amans recludiſ te, & ſtre-  
pitum omnem vulgique celebritateſ o-  
diſſe videriſ, tibi uni & Deo tuo vacaturuſ:  
Hic à meditatione pia etiamnum recenſ, in-  
anis gloriæ appetenſior, inclareſcere optaſ,  
laudēſque ubique tuas decantari. Ibi pec-  
caṭa deploraſ: hic iterum deploranda com-  
mittiſ. Ibi pulverem te eſſe affirmaſ, cænum  
& cinerem: hic jurare penè auſiſ, cælum eſ-  
ſe te, meliori que quām ceteroſ ac nobilioreſ  
carne & ſanguine compositum; cūm tamen  
omneſ uniuersi atque ejusdem ſimus vitis pal-  
mites, aqua ex eodem haufita fonte, ab ea-  
dem nati radice fructuſ. Laudas ipſe te,  
venditāſque magnas illaſ, quaſ in oratione  
didiceriſ, veritateſ, deque eximia quadam  
& rara divinarum rerum cognitione glo-  
riariſ: atqui hic plenum te nos immanibuſ  
mendaciis & miſerabili cæcitate deprehen-  
dimuſ. Conſidera, quæſo, ipſe te attentiuſ,

&amp;

## CAPUT XXVII.

341

& cognosces, totum te carnalem esse, ipso-  
priæ voluntatis studiosissimum, ac res tuas  
amantem & deprædicantem; idque, quod  
dolendum est atque pudendum, non sine  
gravi ipsorummet spiritualium exercitio-  
rum infamia: quoniam ita iis exterius occu-  
paris, ut ob tuam perversitatem & maligni-  
tatem, nihil proficias interius. Quibus mi-  
seriis malisque omnibus dubio procul me-  
deberis, si solam quæras voluntatem divi-  
næm, & nullibi, ne quidem in rebus sanctis  
ac piis, delectationem propriam conso-  
teris. P

C A P V T X X V I I .

*Gradus humana cum Divina Voluntate conformatio-*

**V**T perfectam cum divina voluntate conformitatē affequamur in iis, quae proximè superiori Capite percensuimus, rebusque incōmodis, tam intrinsecis quam extrinsecis, in doloribus, infamia, necessi-

P 3 tatibus,

**P** Consule Blosium Tabellæ spirit. §. 3, n. 7; & §. 4, n. 1: Inſtitu-  
ſpirit. cap. 7: Margariti ſpirit. part. 4, §. 5, & alibi.

tatibus, & afflictionib<sup>o</sup> planè omnibus; per ejusdem nos Conformati<sup>s</sup>tis Gradus oportet ascendere, quos idcirco indicare pergo.

*Primus Gradus est, Quidquid De<sup>s</sup> im-mittit, patienter minimèque invitum aut repugnantem ferre, quantumvis mole-stæ res sint casūsque adversi: neque tamen ideo existimare, rem se magnam præstare; sed id solummodo, quod omnino necessa-rium ac debitum, valdè etiam imperfectos præstitisse sciimus.*

Heli sacerdos, ob cujus filiorūmque pec-  
cata, Israëlem De<sup>s</sup> castigavit, posteaquam  
sententiam adversus se domūmque suam  
latam intellexit, repugnare haudqua-  
quam ausus, insigni cum patientia, Do-  
minus, inquit, *est: quod bonum est in oculis suis  
faciat*<sup>a</sup>. Hæc una illum ratio convicit pa-  
tientiāmque persuasit, nobis quoque per-  
suasura, ne ejus Majestati repugnemus aut  
resistamus, si attentè eam libuerit cogitare:  
cùm de bonis ipse suis, tamquam Dominus  
& possessor, disponat. Et si iniquum est, ho-  
mini alteri adversari, jure eo, quod in rem  
suum

*a 2 Reg. 3, v. 18.*

## CAPUT XXVII.

343

suam habet, utenti: æquumne erit, contra  
DEVM niti? Dómino utique licet castigare  
servum suum. Pater filium tenetur corri-  
gere. Iudex ex officio judicium in reum ex-  
ercet. Nullus in his turbare ipsos potest aut  
debet: præterquam enim quod recte faci-  
ant, à justitiâ quoque ipsâ, vel lege naturæ,  
ad hoc obligantur.

Possimusne ergo velle, ut Deus, qui  
Dominus noster, & Pater, & Iudex est,  
perire nos sinat, i*m*unerique suo, nos non  
castigando corrigendoque, desit? Sique  
grave adeò delictum censeatur, humanæ  
justitiæ contraire; divinæ ob*s*istere, quo-  
modo licebit? Talibus ergo oculis at-  
que animo res omnes aspiciamus, in ve-  
ritate & fide sincera, tamquam à poten-  
te justaque DEI manu profectas; & eas  
sedatè feremus. repugnantia siquidem  
nostra sine dubio à fidei defectu oritur,  
cùm hominibus irascimur obnitimurque,  
quasi à DEO nobis adversa non immitte-  
rentur; aut is nesciret quid rerum gerere-  
tur, qui sciens prudensque homines eligit  
in justitiæ suæ instrumenta, aliisque offici

E 4

com-

commonefaciendos: quibus propterea honorem, cultumque, tamquam Dei ministris, deberemus. Nam et enim Reges solum tetricos Iudicésque majores, verum omnes quoque eorum vicarios administrósque colimus & observamus: immo si quis horum alicui resistat, capitale illum crimen admisisse dicimus. Non minus divinam nos justitiam, in hominibus decet agnoscer.

Consideret itaque se ipsum homo, servus ac vile mancipium, ex parte una; ex altera vero DĒVM, Regem Iudicemque æquissimum, repetatque cum animo suo id quod Abbas Pastor in omni caussa dicendum suadet: *Quis sum ego?*<sup>b</sup>, qui voluntatem judiciumque meum præferam divino? Quod si alium hominem judicare, aut apud se & in animo suo de eo queri, nefas est: quare DĒVM judicemus, deque ejus Majestate, quasi severius subinde quam deceat, nobiscum a gente, conqueramur? Accedit, quod impatientia nullum laborem molestiamque levet, sed eamdem duplicit potius augeatque.

*b Pelagius libello g. num. 5.*

que non aufert illa à nobis Crucem, sed  
facit, ut sine Christo eam feramus: quæ  
gravissima est desolatio, & onus intole-  
rable.

*Secundus Gradus est, Adversitates & do-  
lores hilariter ferre ac libenter. Rex Da-  
vid, antequā nōset DEVM velle, ut filiolus,  
quē illi Bethsabee pepererat, moreretur; ut  
flebat! ut jejunabat! ut orabat, prostratus in  
terrā! simul verò DEI voluntatem puerique  
obitum intellexit, lætior de terrā surrexit,  
& lotus undūisque, ingressus est domum Domi-  
ni, ut DEVM adoraret eique gratias ageret:  
cibum deinde poposcit, erectūisque jam &  
excitatus ipse, consolatus est Bethsabee uxorem  
suam.*

*Sanctus Iob, miseriis undique cooper-  
tus, dicebat: Hæc mihi sit consolatio, ut affli-  
gens me dolore, non parcet; nec contradicam ser-  
monibus Sancti d<sup>r</sup>, hoc est, voluntati DEI, qui  
solus ex se & naturā suā sanctus est. Chri-  
stus Dominus noster, cùm supra modum  
tristis esset, & lethali tædio oppressus San-  
guinem sudaret, simulatque Angelus po-*

P 5

stre-

*¶ 2 Reg. 12, à v. 15 ad 25. d Iob 6, v. 19.*

stremum divinam illi voluntatem repræsentavit, tametsi in re in primis molestâ (tam infamem scilicet mortem subeundo,) implendam; recreatus continuo confirmatîsque est, & tristitiam tamenque omne repellens, magno animo alacérque surrexit, atque carnificibus suis obviâm processit<sup>c</sup>. Maxima consolatio, gratissimûsque quem illi Angelus adferre poterat nuntius, confirmatio fuit voluntatis divinæ. Apostoli hac ipsa consideratione armati, inter medias, quas patiebantur, persecutions, ibant gaudentes<sup>f</sup>. Gaudium istud è fide prodire debet, quam de Deo habemus, eque perfectâ bonorum & commodorum, ab rebus adversis in nos redundantium, cognitione. Attamen si Deum verè amaremus; ad quietissimos nos pacatissimósque reddendos, aliud nihil requireretur, quam hoc solum, scire, ipsius fieri voluntatem: quod unum inexplicabilem lætitiam potest consiliare.

Sancta Lydvvina, virgo sanctissima,

<sup>c</sup> Matth. 26, v. 46. <sup>f</sup> Act. 5, v. 41.

## CAPUT XXVII.

347

ma, incredibilibus doloribus mōrbis  
que exercita, voluntatem suam in Deo  
penitissimè defixerat, pacatōque animo i-  
sta idemtidem repetebat: *Hoc mihi, Domi-  
ne, acceptissimum erit, ut affligens me do-  
lore, non parcas: cùm tua voluntatis imple-  
tio, sit mihi summa consolatio* g. Atque ita  
profectò res habet, neque huic simile sola-  
tiūm reperire licet. Immo sincerum Chri-  
sti amatorem repudiare potius decet cete-  
ras consolationes terrenas, nullāmque  
quærere, nisi eam quæ in patiendo consi-  
stit, unum unicum laborum suorum le-  
vamentum habendo ista Christi verba:  
*Non mea voluntas, sed tua fiat* h. adeò ut  
huic Gradui proprium sit, non solùm gau-  
dere cùm aliquid patimur; verùm nul-  
lām etiam appetere consolationem. Hæc  
ipsa lætitia, remedium est sensus & dolo-  
ris nostri, ut tantò suavius jucundiúsque  
necessitatem quamcumque feramus:  
quemadmodum qui gravi perfungun-  
tur opere, laborem suum cantu levare af-  
solent.

P 6

Ter-

g Sur. tom. 7, mihi pag. 288. h Luca 22, v. 42.

Tertius Gradus est, Quæ nos affligunt ferre  
cum gratiarum actione, magni ea beneficij  
loco reputando. Iobus horæ unius spatio,  
liberis fortunisque suis omnibus spoliatus,  
& tot tantisque calamitatibus circumven-  
tus, atque intra brevissimum tempus (ho-  
rulæ, non amplius, intervallum fuit) ex Re-  
ge mendicum se factum cernens, laudabat  
nihilo seculius Deum, & dicebat: Sit nomen  
Domini benedictum<sup>i</sup>. auctis deinde miseriis  
suis, leprâque & ulcere pessimo percussus a plan-  
tapedis usque ad verticem, beneficium se acce-  
pisse professus; Si bona, ait, suscepimus de ma-  
nu DEI, mala quare non suscipiamus<sup>k</sup>? Quæ  
ratio & argumentatio ut robur habeat, evi-  
dentèrque concludat, uti revera concludit  
supponit, & hoc, & illud, nempe non bona  
rantum vitæ hujus, sed mala quoque, r̄fque  
adversas, beneficia esse divina: nec æqualia  
dumtaxat, verum tribulationes molestias-  
que, beneficia præstantiora. Hoc igitur  
modo Iobus secum ipse ratiocinabatur. Si  
bona temporalia, fortunam prosperam, &  
opes, quæ tamen in minimis DEI benefi-  
ciis

<sup>i</sup> Job 1, v. 21. <sup>k</sup> Job 2, v. 7 & 10.

ciis sunt numeranda, læti ac lubentes ab e-  
jus manu accepimus; quare non eodem a-  
nimō mala, adversitates, ac molestias susci-  
piamus, beneficia utique incomparabiliter  
majora? præsertim à quo tempore illis to-  
lerandis IESVM imitamur, Deique Filio si-  
miores efficimur. Hunc itaque in modum  
cùm suas sanctissimus Iobus calamitates in-  
tueretur, quo, nisi nobis ipsis fraudi esse ve-  
limus, aspici debent; gratias DEO agebat,  
cūmque laudabat & benedicebat. Et verò  
etsi, uti sancè sunt, beneficia non essent; ad-  
huc tamen non pro bonis tantùm, ab ipsius  
manu provenientibus, verùm et pro qui-  
buscumque rebus aliis, etiam malis, gratias  
agendo, DEVUM nobis singulariter devinci-  
remus. Nam si, quod dici solet, ut pruden-  
ter quis agat, hominumque sibi volunta-  
tes demereatur; tum quoque, cùm quid  
malè nobis fecerunt, gratiæ ipsis agendæ  
sunt: quantò magis DEVVS obligatum se fa-  
tebitur illi, qui in omnibus quæ eveniunt  
gratias agit? quia dum sic gratiæ esse assuesci-  
mus; tametsi res malæ sint, easdem in bonas  
transformamus, Sancto Chrysostomo at-

P 7 testan-

testante: Passus es aliquid mali. sed si velis, non  
est malum. Age DEO gratias, & mutatur ma-  
lum in bonum.<sup>1</sup>

Quartus Gradus est, Miserias præsentes  
ferre, cum desiderio plures majorésque to-  
lerandi: quemadmodum Christus, qui de  
seipso confitebatur, coarctari se & affligi, eò  
quod nondum venisset tempus passionis  
suae, quam vehementissimè ipse expetebat,  
quod se totum omni suppliciorum genere  
excarnificantur traderet, adeoque dolo-  
ribus operaretur, sicut illi, quos operuit mare,  
& submersi sunt quasi plumbū in aquis vehe-  
mentibus<sup>m</sup>; quemadmodum, inquam, Ser-  
vator noster interea dum id fieret, desiderio  
immenso angebatur & astuabat, cùmque  
jam aquis tribulationum in Cruce propè  
obrueretur, sitire se n etiam tum testabatur:  
quæ sitis voluntatem sine dubio ardentiſſi-  
mam, animumque plura patiendi avidiſſi-  
mum indicabat<sup>o</sup>. Multos hac in re benigniſ-  
simus Iesvs habuit imitatores, & non ita  
pri-

1 S. Chrysost. in epist. 1 ad Thessal. hom. 10, mihi pag. 1475.  
m Exod. 15, v. 10. Vide Psalm. 68, n. Ioan. 19, v. 28. o Luth.  
de Tunc part. 4, medit. 59.

## CAPUT XXVII.

351

pridem Apostolicum è Societate nostra  
Martyrem, P. Carolum Spinolam; qui per  
omnem vitam, etsi quod pro Iesu suo pa-  
teretur, abundè semper suppeteret, alia at-  
que alia nihilo-minus & graviora. assiduè  
perpeti exoptabat. quod suum asperima  
quæque preferendi incredibile desiderium  
egregiè ipse prodit, ad Sociorum unum ita  
scribens: *Si pati aspera non poterimus, at saltèm*  
*delectabit spectare quæ alii tolerarunt, eorùmque*  
*nos flammis accéndere & parare. Ecquando e-*  
*rit illud tempus! ô dies! ô hora! ô momentum!*  
O Pater, quanta suavitas, vel cogitare secum  
pœnas mortis pro Christo toleratae! Ecquid er-  
gò erit ipsum mori? Hæc talia dicebat ille  
cogitabatque, inexplicabili patiendi  
studio planè accensus, neque umquam  
tantis incessit lætitiis, quantis cùm  
pro Christo Domino vivus exustus  
est<sup>q.</sup>. Sanctus quoque Franciscus Xa-  
verius, dum cælestibus deliciis perfun-  
deretur, Deum rogabat, modum iis face-  
ret, exclamabatque; *Satis est, Domine,*  
*satis*

P. Vita cap. 3. q ibid. cap. 18.

satis est: verum ardens illa, quâ conficiebatur, patiendi sitis expleri non poterat, sed graviorum laborum molestiarumque desiderio dicebat: *Amplius, Domine, amplius, amplius.*

Audiamus nunc quoque, si placet, quis sequioris imbecilliorisque sexus, Creatori suo placendi desiderio confirmati, sensus hâc de te fuerit & judicium. Vnâm hoc loco produxisse sufficiet Venerabilem Virginem, Dominam Ludovicam de Carvajal, quæ usi & experientiâ propriâ erudita, de se ipsâ asseverat; Quantum intimè se cum Summo Bono conjungendi piæ voluntatis ardor increseret, tantumdem affectum quoque, & vivum inflamatumque, inter mille cruciatus, pro eodem moriendi desiderium crescere, & augeri. Addit deinde ista. Nulla alia mihi supereft felicitas, aut gloria: nequerationem modum vereperio, ut voluptas illa & delicia, quibus in celo nos fruituros cogitamus, me oblectent; nec ullo modo de hac materia cogitare possum, aut loqui. Quid si ad hoc ipsa me cogam; ariditatem sentio, aditusque, ut dicebam,

omnes  
Turcell. Vita lib. 6, cap. 5. f Hist. Societ. IESV lib. 3, num. 43.

omnes mihi clausos & perior. Verum simulatque  
DEVM cogito; tota mox anima mea inebriatur  
desiderio perfectissimè se cum infinita illa Bonita-  
te consociandi, nasciturque inde cupiditas & de-  
siderium aliud, pro ipso mortem obeundi: quo uno  
omnes affectus, cogitationes, & gaudia mea o-  
mnia continentur. Clarius fortassis hunc su-  
um patiendi amorem eadem DEI famula  
manifestavit, quando ita loquitur: *Pura ista*  
*hujus voluntatis animæ in voluntatem DEI,*  
*transformationis affectio, maximè tum meretur,*  
*cum contenta illa est, non plures pati tribulatio-*  
*nes pro Domino nostro, quam ipsi placeat: cum*  
*que ea in resuavissimis Christi vestigiis, tanto*  
*pere ad sui sequelam allicantibus, insistere non*  
*posse videt. unde fit, ut aliquando in eodem spiri-*  
*tu, duo isti excellentissimi affectus conjuncti repe-*  
*riantur: conformitas nempe perfecta cum volun-*  
*tate DEI, & desiderium efficacissimum vehemen-*  
*tissimumque vitam ipsam, per mille opprobria-*  
*rum tormentorumque genera, eidem consecrandi.*  
*quod desiderium cum non impletur, in acerbissi-*  
*mos dolores convertitur, quibus sola ejusdem desi-*  
*derij exsecutio mederi posse videtur. Angitur inti-*  
*mis sensibus & tantum non moritur anima, præ*  
*cupi-*

cupiditate illâ, quâ flagrat, temporalem istam  
vitam, vehementissimos inter cruciatus, amore  
Summi quod diligit Boni, millies iterumque mil-  
lies terminandi: cuius optatissimæ sibi mortis di-  
latio & comprehendatio, crudelissimum ipsi est  
tormentum. Nihil majori illa studio requirit ex-  
petitque, quâm videre mori se immenso isto do-  
lore, quem sustinet; & mori ideo, quia mori non  
possit: nec minus tamen latatur, malum suum,  
quia sic vult DEVS, esse insanabile, sicque experi-  
endo probat, quanti quâmque acres & vividi  
sint, quos amor parit, dolores. dicit etiam, con-  
formitatis absolutissimæ, maximique doloris  
convenientiam & conjunctionem, fragrantissi-  
mum esse pretiosissimumque condimentum, ex  
iis rebus compositum, quas humanum judicium  
pugnare invicem, itaque contrarias opinia-  
tur, ut ubi summa est conformitas, ibi summus  
quoque, de non impleto desiderio, dolor reperiri  
non posse videatur. evenitque adeò, ut quò hec  
melius intelligere altiusque penetrare conamus;  
hœc amplius luce sperata destituamur, tenebrisque  
mersi relinquamur. Nam una & sola est lux Ser-  
vatoris nostri IESV, quæ maximopere nobis dete-  
git declaratque operis hujus excellentiam, Divi-  
nitati

nitati ejus singulariter reservatam debitamque;  
ante cujus omnipotentiam impotentia omnis fu-  
git atque evanescit.<sup>c</sup>

## CAPUT XXVIII.

*Quantum ad Mortificationem, ad-  
quę Intentionis puritatem, & cum Di-  
vinā Voluntate Conformatatem, proſit  
Obedientia.*

**E**X omnibus, quae hactenus diximus,  
incomparabile nos virtutis Obedien-  
tiæ pretium meritumque oportet aestima-  
re. Opulentissima illa est & efficacissima, ad  
cor hominis bonis spiritualibus implendū,  
maximisque locupletandum meritis. Illa a-  
ptissima est, ad animam, brevi tempore, ad  
insignem perfectionem perducendum. Illa  
vita est Angelorū; qui hoc uno cōtinuō oc-  
cupantur, ut Dei voluntatē, à superioribus  
sibi Angelis significatam, exsequantur. Illa

per-

<sup>c</sup> An huc-usque Virginis hujus religiosissimæ verba produ-  
cantur, incertū habeo, digna tamen sunt, quæ talem Auēto-  
rem p̄ferant. Idem pauculis altis locis meminisse te velim,  
Lector, ubi ignoti mihi incertive Scriptores, maximè recen-  
tiq̄res nominantur.

perfecta est imitatio Filii DEI , passionum perturbationumque animi quies , cordisque tranquillitas. Illa pax animæ , volatus ad cælum , & caussa progressus spiritualis. Illa denique perfectionis est compendium: & quidquid alibi de Mortificatione propriæque voluntatis renuntiatione , quidquid de Intentionis puritate , & cum voluntate divina Conformatitate differuumus , illud universum in consummata Obedientia reperitur, atque in illa , & per illam , re ipsa exercendum , inque opus est deducendum.

Certum est, ad Mortificationem suique abnegationem, aptius medium nullum esse, quam Obedientiam: quoniam si perfecta illa sit, sensus omnes , appetitiones , & potentias coercedit; neque iis nisi recte ordinatéque utetur. quod non in sensibus tantum potentiisque materialibus locum habet, verum in spiritualibus quoque; intellectu nimirum & voluntate , quæ difficilius domantur alterique subjiciuntur. Quia uti per Obedientiam aliena impletur voluntas; sic perfectè Obediens propriam vo lunta-

Iuntatem habere non debet: hōcque pachō  
integra sui abnegatio obtinebitur, imple-  
biturque id, quod præcipue ad DEI volun-  
tatem exsequendam necessarium esse dice-  
bamus, scilicet, ne propriam ullo modo vo-  
luntatem perficiamus.

Quare ecquod medium opportuuius, ad  
res quasque pura intentione peragendas,  
& de divinæ nos voluntatis impletione se-  
curos reddendos, reperiri queat, quàm O-  
bedientia? Duarum rerum quas Intentio-  
nis sinceritas in se complectitur, quibūsque  
illa perficitur, altera est, facere quod vult  
DEVS; altera, idipsum facere, quia DEVS  
vult. Exploratissimum autem est, in facien-  
do quod DEVS vult, neminem minus falli,  
quàm Obedientem: nemine deinde pleni-  
us sibi satisfacere, nemini de divinæ volun-  
tatis impletione certius liquidiusque cōsta-  
re posse. Quin immo illusionem ac fraudes  
vaferimi Dæmonis esse, pro comperto ha-  
bere quis debet, quidquam ex iis, quæ Su-  
perior imperaverit, prætermittere, etiam si  
id fiat animo melius aliquid faciendi, etiam  
si Angelus de cælo aliud suafisse videatur.

Nul-

Nulla major prudentia est, nulla inspiratio  
perinde sensibilis, revelatio nulla securior,  
quibus de divino beneplacito edoceamur,  
quam Obedientia: in tantum, ut qui ei se ad-  
dixit, minimè dubius sit, DEI se exsequi vo-  
luntatem; qui non addixit, æquè sciat, se ne-  
que facere quod Deus vult, neque ulla-  
nus rectam intentionem habere posse. Im-  
perent licet Præfides quidquid volunt, &  
quo modo volunt; quales- etiam- cumque  
sint ipsi: attamen, nisi quid imperent, quod  
apertè malum est, tametsi ipsi sint mali,  
tametsi male imperent, peccantque impe-  
rando; DEI etiamnum expressa testataque  
voluntas est, ut subditus obsequatur. usque  
cò, ut non sit discretio prudentior, non  
prudentia sapiétior, non sapientia divinior,  
neque regula cōmuniōr quæque pauciores  
habeat exceptiones, neque modus securior,  
neque ars brevior, certò semper, quod Deo  
placeat, faciendi, quam quidquid est impe-  
ratū integerimè exsequi: ideoque regulæ  
omnes, quas dedimus, divinæ voluntatis  
agnoscendæ, Obedienti non sunt necessaria:  
quippe à quibus omnibus hominē absolvit  
eximūtque virtus Obedientiæ.

Al-

## CAPUT XXVIII.

835

Altera operis cujuscumque conditio, Intentionis spectans puritatem, quæ est, ut omnia fiant, quia sic Deo placet, in vero perfectoque Obediente similiter reperitur: quia cum hic non habeat gustum voluntatemque propriam; consequens est, ut eo, quod in nobis divinæ voluntati adversatur, voluntate, inquam, propriâ expugnatâ, res deinceps omnes ex divina voluntate perficiantur; Superiorem non aliter quam Deum ipsum aspicio, ejusdemque verba, velut Oracula, & Ordinationes, Constitutionesque de cælo lapsas, admittendo.

Accedit, quod voluntatis humanæ cum divina conformitas, perfectæ Obedientiæ in primis sit propria. Quemadmodum enim Obediens, alieno subditus subjectusque imperio, ad quascumque incommoditates, ex Moderatorum præscripto sustinendas, paratus esse debet; ita quia propriâ caret voluntate, nihil quoque habet, quod in re ulla, quam facere jubetur, divinæ contradicat repugnētque voluntati.

Non est præterea, quod perfectus Obediens quidquam limitet, aut ad has illas

res

res se adstringat; verum generosissime, cum  
resignatione quadam universali, ad omnia,  
quæ imperabuntur, sit paratissimus: quod  
propositum destinatioque animi facit, ut  
nullam non rem, & imperium quodvis  
promtissimè admittat & amplectatur.  
Quod si porrò cum iis, quæ Deus vult, con-  
formari nos oporteat, quando elementis,  
aliisque creaturis ratione carentibus, ipsis  
quiñ etiam peccatoribus & infidelibus,  
tamquam instrumentis, utitur: quod si cæ-  
li deinde aërisque intemperiem, si invidiam  
odiūmque mortalium, & eorumdem inju-  
rias contemptumque patienter ferre debea-  
mus; quid sit, quamobrem Divinam ejus  
Majestatem, instrumentum nobilius adhi-  
bentem, & cui honorem cultumque de-  
beamus, qualis est Pater noster spiritualis,  
& homo quispiam Dei vicarius, neque raro  
sanctissimus Deoque carissimus, quamob-  
rem, inquam, illam non pari animo patia-  
mur & sustineamus?

Hæc adeò perspicua sunt, ut, nisi quis  
Obediens sit, voluntatem propriam neuti-  
quam expugnet, divinam non impleat, ne-  
que

que cum DEI se beneplacito conformemur  
quæ perfectè Obediens præstat omnia. &  
quidquid usque adhuc disputavimus de bo-  
nis commodisque, ex divinæ voluntatis ex-  
secutione provenientibus, simili modo de  
Obedientia intelligendum est: nam eam ob-  
rem Virtus hæc tantoperè ab omnibus Ec-  
clesiæ Patribus celebrata, tantoperè à San-  
ctis usurpata, tantoperè ab ipsomet Serva-  
tore nostro amata fuit, ut Obedientiæ stu-  
dio mori voluerit. Virtus hæc cæca dici-  
tur; eō quòd per illam divinæ voluntatis  
implatio certa adeò efficitur. Neque enim  
Obediens aliud intuetur aut considerat,  
quam solùm, ut imperata faciat; hæcque ra-  
tione cæcis, ut dici solet, oculis, beneplaci-  
ti divini scopum attingit. Quare si quis su-  
um amare studet Redemptorem; hanc tam  
dilectam illi virtutem amplectatur. si quis  
divinam implere optat voluntatem; in hac  
ipsa virtute, quæ quid velit DEVS declarat,  
conetur excellere. si quis semet-ipsum cupit  
vincere; huic eidem virtuti se devoveat, cu-  
jus præsidio de propria voluntate trium-  
phatur. si quis pacem amat reperire; secte-  
tur

Q

tur Obedientiam, à qua adjutus, sine turbatione omni & molestia vitam transiget. Siquis compendiario facilique ad cælum itinere pervenire desiderat, per illam securus ambulet, quæ plana & sine salebris via est. Respiciat homo in Superiore DEVM, neque vel latum unguem ab ipsius voluntate deflectat: nam tantum voluntati contraibit divinæ, quantum adversus hominis, qui DEI locum obtinet, nitetur pugnabitque voluntatem. Serventur altè infixa unius-cujusque animo verba illa, quæ IESVS Sapientia Æterna, de iis qui aliis præsunt elocutus est: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit<sup>a</sup>.* quis vero, nisi Dæmon aliquis, DEVM spernat? Hanc ob causam dicebat non nemo ex antiquioribus Patribus, eum, qui Superioribus resistit, Diabolum potius quam hominem appellandum esse. Magno enimvero discrimine separantur distantque Obediens atque Inobediens: sunt namque velut extrema duo, inter quæ nihil medium intercedit. Aut enim cælestis est Angelus,

*a LUCAS 10, v. 16.*

CAPUT XXIX. 363

lus, qui obedit, divina voluntate im-  
plenda semper distentus: aut detestabi-  
lis est, & Lucifer aliquis, quicumque  
hominis, DEVM repræsentantis, vocem au-  
dire contemnit.<sup>b</sup>

CAPUT XXIX.

*De uniformitate cum DEI volun-  
tate.*

**A** Voluntatis propriæ Abnegatione,  
Intentionisque puritate, & cum di-  
vina voluntate Conformatioне, gradum a-  
nima faciet ad uniformitatem, hoc est,  
ad tam arctam cum divino beneplacito  
cūmque ipso DEO unionem, consensio-  
nem, ac fœdus, ut non duæ jam sed una  
voluntas esse videatur; ut non tantum  
velit quod vult Devs, sed illud ipsum

Q<sup>2</sup> velit,

<sup>b</sup> Pleraque horum, cūm voles, explicabit tibi, quem no-  
minavi ad finem cap. 22, eodem egregio, sed non pro meri-  
to suo passim cognito, Volumine, lib. 2, Capitibus aliquor,  
& toto libro ultimo; Alphonsus Rodericius part. 3, tr. 5;  
& S.P. Ignatii de Obedientia, epistola absolutissima.

velit, aliam cur sic velit caussam non habens, quam quoniam sic Deus vult: ita ut, quantum ad ipsam attinet, voluntas ejus propria prorsus supervacanea & superflua in mundo, totaque in divinum beneplacitum transivisse videatur, agendo omnia patiente que, quæ Deo placitura poterit intelligere, tamquam si ex suâmet voluntate ea ficeret; aut pro suo libitu, pari, aut majori etiam cum voluptate, labore molestaamque præsentem sustineret: id quod eamdem cum Deo potius, & uni-formem, quam con-formem solum habere voluntatem, esse apparet. Conformatas enim duas significat voluntates, quæ consentiant & concordent; ubi licet difficultas aliquarē pugnantiaque interveniat, altera tamen alteri se accommodet: uni-formitas vero eam dicit voluntatum unitatem, ut non duæ esse videantur, nec ulla difficultas aut repugnantia existat; sed ut unus perinde velit quod alter, quasi ex se illud & ex animo proprio vellet: tantumque abest, ut si bi ipsi quidpiam velit, ut perinde vivat, quasi sua voluntas in rerum natura non es-

set.

set. atque si, quod fieri nequit, DEI voluntas omnino tolleretur, adduci non posset, ut quidquam vellet; quia aliam in se voluntatem non habet quam DEI, ista solâ suavissimè & velut naturæ ductu, sic se oblectando, quasi suo animo morem gereret. si item contingenteret, ut necessariò rem aliquam in sui ipsius gratiam facere deberet; vim sibi afferri, maximumque supplicium experiretur: ita ut verè dici possit, ipsam non solùm facere voluntatem DEI, verum etiam suam, dum facit divinam; ideo quod non habeat voluntatem contrariam, animumque distinctum.

38 Ad hanc uni-formitatem omni studio quærendam, exhortatur nos Vir quidam admodum spiritualis, cuius oratio digna est quæ hoc Caput coronet. Præteri, inquit, omnem id quod comprehendere potes, atque omnem creaturam; & conquiesce in sola voluntate Boni tui incomprehensibilis & infiniti. Hanc amplectere atque amā, quomodo cumque res eveniantur: sive prosperæ sint, sive adversæ; sive securæ, sive plenæ periculis. neque enim ad majorem dignitatem potest anima pertingere, nec quidquam effici-

cere illustrius, gloriiosius, majus, aut delectabilius,  
quàm si hanc habeat cum DEO conformitatem  
& amicitiam, ut idem velit cum ipso. Benedictus  
sis, ô DEVS meus, Cónditor & vita omnium, quia  
tu Creator cùm sis, & ego creatura; tu Esse infi-  
nitum, & nos nihil ac miseria; pertingimus tamen  
ad tam sublimem supremæ tuæ Bonitatis partici-  
pationem, ut voluntate tecum & judicio conve-  
niamus. Ais, Domine, bonum istud esse? idem èt nos  
dicimus. Vis hoc? èt nos volumus. Placéte tibi, ut  
ipsos viginti annos, in cruce & temptationibus, pla-  
nè desolati persistamus? hoc quoque lubentes ac-  
ceptamus. Vis nos abjici, contemni, persecutionem  
pati? nostrum itidem hoc votum est, tuóque arbi-  
trio jucundè placideque gubernamur. An vero er-  
rare hac ratione possumus, aut re quapiam ad ca-  
lum utili carere & destitui? A voluntate tam sanc-  
ta & justa, quàm est divina, quid mandari po-  
test non justum, sanctum, & omnibus numeris  
perfectum? Ille tam liberalis ac munificus DEVS,  
quid ab homine aliud exiget, quàm quod divitias  
ipsi pariat & thesauros immensos? Quæ monita-  
dabit benignissimum Numen, nisi quæ misericor-  
diam spirent & sapientiam infinitam? Quam nos  
viam docebit, præterquam securissimam & pla-  
nissi-

nissimam? Quale consilium dabit, nisi fideliſſimū,  
Et maximi ad vitam felicitatēmque nostram mo-  
menti? Que omnia ac singula cūm adeò sint ex-  
plorata, Et certissima Christianæ fidei dogmata,  
extrāque omnem dubitationem posita; quanta  
nostra est insania, dum desideriis Et voluntati  
propria obsequimur, divinam, quæ in tuto nos at-  
que extra omne periculum collocat, stolidè negli-  
gentes? Flagellet licet, castiget, mactet, sanet, tollat  
devotionem, aut tribuat; tractet ut mancipia, vel  
liberos; affligat aut delectet nos DEVS: salva sunt  
omnia, Et in ipso felicitatis portu navigamus,  
dummodo intus Et in animis nostris illi probè cō-  
sentientes, Et cum voluntate ipsius usquequaque  
conformes, voluntatem propriam, malorū nostri-  
rum omnium fontem Et caußam præcipuam, ex-  
toto abnegemus; cum ad nihil illa serviat, præter-  
quam ad destruendum id quod in nobis DEVS ef-  
ficit, Et ad delenda inducendaque ea, quæ in cor-  
dibus nostris digito is suo inscripsit, atque ad divi-  
næ illius voluntati impudentissimè resistendum.<sup>2</sup>

CA-

a Auro scribi merentur quæ de hac re pluribus locis incul-  
cat Nobilissimus in paucis Asceta L. d. Blasius. Videsis illum  
in Tabella spirituali. §. 4. Et 5: Marvariti spirit part. 1. §. 5 Et  
6: Serinioli spirit part. ult. §. 4. Et in Consolatione pusillani-  
mum, alibique passim, ut alios taceant.

## CAPUT XXX.

*De DEI-formitate & Vitâ Divinâ,  
quam Anima aliquæ Sanctæ partici-  
pant.*

**E**X uni-formitate ista, & cum divina vo-  
luntate summâ, quam dixi, consensio-  
ne DEI-formitas nascitur Vitâque Divina.  
Sacrosancta namque & adoranda Majestas  
illa, quæ cælum terrâmque implet, iis qui  
puritatem hanc perfectionemque consecu-  
ti sunt, nomen suum communicare digna-  
ta est, apud Davidem dicendo: *Ego dixi; Dñs  
estis, & filii Excelsi omnes*<sup>a</sup>. cui consonans in  
Evangelio suo Magister noster IESVS, ad Pa-  
trem conversus, *Rogo, ait, ut omnes unum sint,*  
*sicut tu Pater in me, & ego in te, ut et ipsi in nobis  
unum sint*<sup>b</sup>. Arcto adeò nexu cupiebat nos  
bonus IESVS cum DEO colligari & uniri,  
ut unum potius videremur quam uniti. Ad  
honorem istum amplissimum ascendit ani-  
ma, quando propriam voluntatem jam fre-  
git, penitusque conculcavit & contrivit, at-  
que

<sup>a</sup> *Ts.81, v.6.* <sup>b</sup> *Ioan.17, v.21.*

que illam in rebus omnibus, quantum hu-  
jus vitæ status admittit, ad divinam confor-  
mavit; quando deinde eadem voluntate suâ  
annihilatâ, & in profundissimam nihili sui  
abyssum altissimè demersâ, supra se-ipsam  
se attollit, modòque admirabili in DEVM  
Dominum nostrum quodammodo trans-  
mutata, res omnes vult, non tamquam si i-  
psa eas vellet, sed Devs in ipsâ; talem se  
exhibendo, atque si voluntate creatâ exuta,  
solam haberet voluntatem divinam, quâ a-  
nimata viveret operareturque omnia; &  
quasi non unionem dumtaxat cum illâ ob-  
tineret, sed unitatem, habendo volunta-  
tem aliquam, similiter ac si (ut sic loqui li-  
ceat) non haberet. nam quas res vult, eas  
nō vult, ut volant homines, verùm perinde  
ac si solus in ipsâ eas vellet Devs; cui volun-  
tatem olim suam libertatēmque omnem,  
in reliquam vitam, sponte suâ, omni ex par-  
te consecravit, séque in mancipium perpe-  
tuum tradidit, multò magis, quàm S. Pauli-  
nus, cùm liber esset, lubens volens homini  
barbaro captivum se dedidit. denique

Q 5

haud

c. S. Greg. Dialog. lib. 3, cap. 1.

haud aliter, quām si omni omnino voluntate destituta esset.

Admiranda isthæc transformatio tum peragitur, quando anima res ad DEVUM ejusque honorem & gloriam pertinentes ita intuetur, ac si ipse DeVS essent, easdem non tamquam res alterius, sed uti sibi maximè proprias considerando: contrà verò res suas aspiciendo, non ut alienas modò, sed quasi ad neminem in toto mundo pertinerent. ita ut quidquid ad ipsam quoquo modo spectare potest, uti ipsius honor, commoditas, corporalis spiritualisque oblectatio, non magis revera quærat, quām si nata numquam, aut ad nihilum redacta fuisset; ad solūm semper DEVUM attendendo, ipsius amore tota occupata, jam nunc faciendo, quod per omnem æternitatem, in Angelorum Beatorūmque Cælitum, quorum hoc erit studium unicum, societate est continuatura. Adjuvet nos, per obedientissimi Filii sui Sanguinem clementissimus DeVS, ut illum in modum faciamus, divinamque voluntatem compleamus in terrâ, sicut in cælo impletur. Amen.

CA-

## CAPUT XXXI.

*De ardentibus Desideriis, quibus Perfectio, Divinæque Voluntatis impletio per vestigari debet; déque Incitamentis & Stimulis ad hoc impellentibus.*

**I**stud vero tertium cælum est, paradiſus, & terminus desideriorum, ad quem fideles Dei servi anhelant. Eorum itinera sunt Mortificatio, Intentionis puritas, & cum voluntate divina Conformatas; de quibus ad id locorum verba fecimus. Verum quia, ut quis ad locum destinatum perveniat, non sufficit in viam se dare, sed in ea progredi oportet; ideoque necessarium est viaticum à quo sustentetur, pedes qui ferant, oculi ut ducant, & lux quæ illuminet, ( noctu enim, aut cæcus male ambulabis ) via denique ipsa secura, minimèque impedita: eam ob causam Generalia aliquot Mennita proponam, quæ in progrediendo

Q 6

noi

XXX

VITÆ DIVINÆ  
372 nos adjuvent, viamque muniant, pericula tollendo & offendicula, quæ iter facient solent occurrere.

Suscipiendum illud est ante omnia generoso ac forti animo, magnisque cum desideriis, quæ, ex mente S. Augustini, pedes sunt animæ, quibus ad DEVM p̄venit. Quare danda erit opera, ut hæc desideria semper viva sint & ardentia, conjuncta cum eximia singularique progressus nostri & beneplaciti divini æstimatione, supra res omnes alias hujus mundi, supra quamcumque oblationem propriam, supra omnem honorem, supra vitam nostram, immo supra mille vitas, si eas haberemus: cum vehementer item animi inductione, verissimâ que persuasione, aliud nihil perinde nobis prodesse, quam ut, non contenti eo solo, quod Deo placeamus, firmiter præterea statuamus, ejus gratiâ facere quidquid poterimus; istud ipsum cum profunda humilitate proprioque contemptu, atque unâ insigni in DEVM fiduciâ, & piâ animi magnitudine,

a S. Aug. Enarrat. in Psal. 94. mihi pag. 434; & Tract. 56  
in Ioan. pag. 162.

tudine, exsequi desiderando, adque eximiam sanctitatem pervenire contendendo. Non est enim abbreviata manus Domini<sup>b</sup>: & qui minùs præstat, non implet ille voluntatem Dei, quæ est sanctificatio nostra<sup>c</sup>; immo ut sanctus sanctificetur adhuc<sup>d</sup>, & justus non cesseret augere justificationem suam. Ad hoc nos permovere poterunt, & excitare argumenta plura, quæ in prioribus Capitibus indicavimus. verum tamen quia tanti ea res momenti est, alios hoc loco stimulos rationesque efficacissimas colligemus, ad animam expediendam ab ignavia ac pusillanimitate sua, aut, ut rectius loquar, ab intolerabili ingratitudine, putidâque cum Conditore suo agendi ratione: quâ scilicet acquiescit illa & sibi satisficit, si notabiliter ipsum lethaliterque non offendat; cùm nihil insuper prætermittere deberet, ad eidem quantum potest placendum, omnique officiorum genere ejusdem sibi benevolentiam ampliorem comparare.

Primo. Inspiciatur penitus, qualis & quantus in se sit Deus, quam dignus, qui à

Q 7

mille

*b Is. 19, v. 1. c Thessal. 4, v. 3. d Apoc. 12, v. 11.*

mille mundis infinitè ametur & honoreatur, propter stupendam suam & inenarrabilem bonitatem, sapientiam, omnipotenciam, ceterasque, quæ in ipso sine numero, sine termino, sine fine sunt, perfectiones. Tum enimvero omne illud, quod multum magnumque in illius obsequio esse aestimavimus, cum bonitate Creatoris nostri, infinitoque, quem is meretur, honore comparatum, prorsus minimum, aut nihil potius esse, clare apparebit.

*Secundò.* Diligenter itidem expendat anima contemptum, vituperium, paupertatem, necessitates, dolores, & nocem acerbissimam, quam DEI Filius, amore nostri, utque ipsum redamaremus, & calestem Patrem honoraremus, sustinuit: clarissimeque rursum intelliget, quidquid adhuc fecit aut passa est, illud universum, respectu ejus quod debet, puerile esse ludicrum. Et verò, si tam serio Christus tantique impendio curavit salutem nostram; quæ ista, quæfo, insania est & fascinatio, vel punctum temporis in re usque eò nobis necessaria negligere, turpiterque perdere?

*Ter-*

**Tertio.** Consideretur innocentia, puritas vitæ, & perfectio, quâ nos præditos esse decet, ex DEI præcepto; quo jubemur, nulli vitio culpæve in nobis locum permittere, omniumque virtutum absolutioni procurandæ studere, convenienter mandato isti maximo: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Consideretur hoc, inquam; & manifestè, nec sine rubore multo, quivis perspiciet, quâm procul ab hac perfectione absit, & quâm non præstet id, ad quod obligatur.

**Quartò.** Revocemus in memoriam divinorum beneficiorum multitudinem atque immensitatem, totque corporales ac spirituales gratias, & multò maximè tenerimum, quo illa Devs contulit, amorem: libentesque denuò fatebimur, omnem nostram compensationem, & gratias, quas pro iis retulimus, nihil esse. quin & insigne nos dedecus admittere, dum contenti sumus, parùm adeò fecisse in gratiam illius, à quo talia ac tanta dona, tamque libenti animo data, acceperimus.

**Quint**

*c. Marc. 12, v. 30.*

*Quintò.* Conisce oculos , quantum fieri potest, in illam inenarrabilis gloriae infinitam excelsitatem, immensamque magnitudinem præmii , iis præparati , qui seipso vincunt recteque operantur; & cogita, remunerationem tantò majorem futuram, quanto opera fuerint perfectiora : nec obscurè intelliges , quām , in comparatione tantæ mercedis, modicè laboraveris ; animabisque ipse te, ad majora & excellentiora virtutum opera frequentanda.

*Sextò.* Pondera hinc nobilitatem , præstantiam, & pulcritudinem illam , quam in se virtus complectitur; excellentiam item, venustatem, & dignitatem, quam per illam acquirit anima: inde verò dispice horrendam deformitatem & vilitatem peccati; nefariam quoque turpitudinem , ac infamiam eorum qui peccant : viribusque quamprimum omnibus contendes, etiamsi labori huic immoriendum foret , ut magis magisque virtutibus augearis , & vitia, quantum potes, fugias atque devites. \*

*Septi-*

\* Vide, queso, *Ducem peccatorum R. P. F. Ludovici Gratiatensis; Ducem sane peritissimum & optimum.*

Septimò. Compara sublimitatem & perfectionem vitæ Patrum antiquorum & Ecclesiæ Sanctorum, eorūmque admirabiles virtutes, indefessum affligendi corporis, affectuūmque domandorum studium, processus prolixas, operaque verè heroica cum iis, quæ tu facis: & certò, scio, erubesces vitam & mores tuos imperfectos, illāmque cogitationum actionūmque tuarum vilitatem & abjectionem maximam.

Ottavò. Recordare multitudinem enorimatēmque offensarum, adversus Deum tam bonum admissarum: & deprehendes, omnibus te actionibus tuis nihil admodum noxarum eluere; infamiæque plenum opus esse, quod non majore Creatorem tuum cultu observantiâque digneris, nec honorem, quem, quantum in te fuit, ipsi eripiisti, compensare studeas.

Nonò. Aperi oculos mentis tuæ, ut pervideas multitudinem periculorum & tentationum Mundi, Diaboli & Carnis; multitudinem quoque eorum, qui per eas perierunt; & da operam, si sapi, ut securum te facias, impensiūsque in dies singulos nobiliori-

lioribus virtutum operibus animum firmes  
ac corrobores, quò iis resistere valeas, & ex  
periculoso isthuc certamine victor evadere.

*Decimò.* Memoriā repetamus, uti faciebat  
S. Hieronymus f, severum, justum, tremen-  
dum, & supremum Dei judicium, rationem  
de actionibus nostris omnibus accuratissi-  
mam exacturi: ante cujus tribunal, solis ma-  
lis bonisque operibus comitatos, sisti nos o-  
portet, ut respondeamus de nostra pro pec-  
catis satisfactione, dēque infinita inhu-  
manitate, quâ ipsum illum Iudicem accepimus.  
Verum-tamen nisi insanimus, ab hoc  
temporis articulo incipiemus, quacumque  
ratione possimus, quod debemus exsolve-  
re; & quidquid adhuc factū est, habita ratio-  
ne pœnitentiæ expiationisque reliquæ, pro  
indignissimo dedecore ipsimet habebimus  
potius, quam ut debitorum tantorum par-  
tem minimam nos exsoluisse credamus.

*Vndecimò.* Lustremus animo vitæ hujus  
brevitatem & vanitatem, alterius verò æter-  
nitatem; certitudinem item mortis, & in-  
certitudinem modi ac temporis, post quod  
neque meritis, neque pœnitentiæ locus ul-

f Epist. ad Florentium, To. 1. mihi pag. 16.

lus supererit: attoniti que suam quisque nostrum, vel momentum unum amittentis, neque perfectius quotidie operari satagentis, dementiam obstupescemus.

Duodecimò. Istud quoque pensitandum venit, quod verbis Viri sanctissimi placet propnere. Qualiter cumque, inquit ille, incipias bonam vitam in quovis gradu, sine conamine & desiderio ad maiorem ascendendi & altiore vitam, non potest esse sine fundamento presumptionis & superbiae hujusmodi quod incepisti; nec potest esse sine inclusione magnae tepiditatis & negligentie, ex quo haec duo mala includuntur: nec potest esse sine magno periculo vivendi in multis vitiis spiritualibus. Nec dubito, (ita pergit S. Vincentius Ferrensis) quod si vetis dictorum malorum esse liber & immunis, quod quantumcumque altam vitam inceperis, tu adhuc conaberis in altiori & perfectiori vita esse. S. BERNARDVS loquens de illis, qui sunt fervidi in principio, & postea, credentes se aliquid esse, tepeſcunt: O, inquit, si scires, quam parvum est, quod habes, & hoc ipsum quam citè perdes, si non servaverit qui dedit!

## Deci-

g S. Vincentius in parvo, sed aureo Opere de vita spirituali, & brevi methodo pervenienti ad perfectionem, cap. 13. habet  
ad Vincentium l.c. super Psalmum 90.

*Decimo-tertiò.* Contemplemur abyssum justorum. Dei judiciorum adversus aliquos, qui multo tempore sanctissimè vixerant, quos deinde tamen, propter occulta, ad quæ ipsi non adverterant, peccata, idem Deus labi, fœdèque interire permisit. Neque quisquam, siquidem judicio & ratione utatur, ita ipse se oderit, tametsi apprimè religiosam sanctamque vitam profiteatur, quin omni studio adlaboratus sit, ut amplius se purifiet, profundius humiliet, & diligentius quam antehac umquam perficiat: omnes affectus suos emundando, intentiones suas examinando, arctius se cum Deo jungendo, ac studiosè cavendo, ne quid umquam committat, propter quod à divina Majestate derelinqui abjicique mereatur.

*Decimo-quartò.* Vivâ fide penetremus gravitatem æternitatémque suppliciorum, quæ apud Inferos peccatoribus parata sunt: omnésque hujus vitæ pœnitentiæ & asperitates, quantumcumque diuturnæ, faciles nobis esse videbuntur, ac tantum non jucundæ, & optabiles; propterea quodd penas

cas liberari possimus à doloribus sempiter-  
nis: majorem quoque, in dies singulos, a-  
nimæ nostræ profectum procurare stude-  
bimus, quod à periculo jacturæ irreparabilis  
planèque incomparabilis tantò simus re-  
motiores. Et verò, si homini ad mortem  
damnato potestas concederetur, & tempus  
quidpiam faciendi, ad se à tormentis im-  
minentibus eripiendum; putamusne, et si  
nullam inde gloriam reportaturus esset, ali-  
quid uspiam fore, quod magnum huic tali,  
nimirumque difficile videretur? Idcirco  
quidvis nos decet tentare, necabi impinga-  
mus, atque ut præsentissimum istud discri-  
men amoliamur: præsertim, quia eadem  
operâ plures altiorésque gloriæ gradus pro-  
mereimur.

*Decimo-quintò.* Illud quoque diù mul-  
tumque cogitandum est. Siquis sine gra-  
viore molestia, magnâque cum jucundita-  
te vivere exoptet; omnino necessarium es-  
se, ut ad insignem perfectionem aspiret, de-  
liberatique & forti sit animo, ad Dei in o-  
mnibus voluntatem exsequendam. Qui-  
cumque id non facimus, numquam quieti,

tumul-

tumultus in animo experimur perpetuos;  
& moriendo vivimus, dum mortificatio-  
nem horremus, nostrisque commoditates  
imprudenter attendimus. At vero quisquis  
seriò perfectionem sectari decrevit; is &  
longè minus pœnitentias, mortificationes,  
ac labores vitæ spiritualis sentit, & singu-  
larem præterea devotionem percipit, deli-  
ciisque cælestes. Dolenda enimvero res est,  
abjectissimique animi argumentum, tepi-  
dum esse & languidum: quandoquidem qui  
hujusmodi est, tam ab humanis quam divi-  
nis solatiis desertus, multò quam ferventes  
DEI servi, amplius fatigatur & laborat.

Istud denique diligentissimè animadver-  
tendum est, DEVM (uti ex sacrâ Scripturâ  
colligitur<sup>1</sup>) unicuique homini certum tem-  
pus, quo pati, tolerare, se vincere, & virtu-  
tis difficultatem probare debeat, praesti-  
tuisse: atque si quis, cum magna contentio-  
ne & perseverantia, usque ad tempus illud, à  
divina sapientia determinatum, vim sibi  
generosè inferat; tum vero eundem

DEVM

i Vide Apparatum Francisci Labate To. I, de tribulatione  
justorum, propos. 5.

## CAPUT XXXI.

383

DEVM, potentem suam & maximè liberalē manum admovere, faciliāque reddere, quæ priùs difficiiliavidebantur, viam perfectionis complanando, gratiis animam cumulando, & velut in sinu suo & brachiis gestando. adeò, ut maximos quis progressus faciat, nulliusque egeat, præterquam ut in se-ipso debellando constanter progrediatur, idque fortassis ad breve adhuc tempus: cùm vicissim fieri possit, ut, quia quis anni, aut etiam mēsis dimidii spatio, secum ipse strenuè pugnare, sēque vincere neglexit, id eo ad præfixum sibi terminum haudquam pertingat, sanctus non evadat, neque (quod ceteroqui futurum erat) parvo labore, præcipuōque quodam cum gustu & voluptate, ad perfectionem contendat: fieri item, ut idem ille, eò quod inconstans sit & langueat, interitum perniciēmque suā meritò habeat metuere. Illa de talentis parabola<sup>k</sup>, justissimam reverà caussam affert, cur partim magnopere timeamus, partim plurimum animemur. Nam qui talento accepto nihil lucratus erat; cùm Dominus vénit,

<sup>k</sup> Matth. 25, 14.

vénit, eo ipso privari meruit, & in tenebras exteriōres ejici, propterea, quod illo frumentum nullum fecisset; ejusque talentum fideli alteri & diligenti servo dātum est, qui de suo augendo sollicitus fuerat. id quod frequenter ita contingit, ut tepidorum desideria, quibus olim calebant, evanescant, ipsique deficiant & pereant; atque ut Deus gratias, quas ipsis contulerat, in ferventes transferat, quod tantò felicius expeditiusque iter ad cælum possint decurrere.

Rationes hæ omnes ponderosissimæ sunt & firmissimæ, si rectè exputentur & subducantur: istum certè in finem hic à me sunt adductæ; non verò ut obiter, & levi opera percurrantur. Quapropter unumquemque, qui huc usque legendo pervenit, obnixè rogo, easdem ut relegat, singulásque primum separatim, tum deinde universas simul, lentè secum attentéque perpendat. Nam earum singulæ diligenter cogitatæ, vi suâ ac pondere ignaviam torporémque nostrum haud dubiè impellent, a lacrēsque nos facient: quantò igitur id comodiùs efficient, si junctim universæ adhibeant-

## CAPUT XXXII.

385

beantur? Nescio equidem, quodnam demum frigus cordis, sedecim hisce vehementibus tonitruis possit resistere, quin à tam luculento igne flammam saltēm aliquām calorēmque concipiat, & inardecat.

## CAPUT XXXII.

*Exempla aliquot singularis, in divinā voluntate implendā, fervoris propoununtur.*

**P**Osteaquām rationes istas & argumenta multiplicia studiosè congesisti, quæ apta credebam, ad excitandam in animâ, Creatori nostro placendi, ejusque sanctissimæ voluntatis magno cum affectu & fervore adimplendæ, viva sanctaque desideria; hoc nunc Capite, quò illud ipsum animo penitiūs affigam & inseram, illustria aliquot Deo famulantium, eique præcipua quadam cara & solicitudine, ex toto corde, ex tota anima, mente, & virtute sua, perfectissimè placere studentium, imitationi nostræ,

R

exem-

exempla proponam. Nam quidquid à nobis  
præstari potest, id sanè permodicum est, iis  
collatum, quæ rationibus proximè allatis  
permoti fecerunt Sancti; qui divini bene-  
placiti exsequendi studio, molestias labo-  
résque nullos subterfugerunt.

Simeon Stylites, in columnā angusta, sub  
dio, gelu, ventos, frigus, æstum, omnēaque  
cæli inclemētiam corpore suo expertus,  
Etoginta, & amplius, annos perstitit: ita ut  
dormiret aut considéreret nunquam; vix  
ad eo unquam, nisi semel in hebdomade,  
cibum caperet. Dies noctesque orabat, &  
interea corpus toties inflectebat, ut Theo-  
doreti famulus, intra breve tempus, nume-  
rārit aliquando adorationes hujuscemodi  
inflexionēsque mille ducentas, quatuor &  
quadraginta, plures numeraturus, nisi nu-  
merando fessus desisset. Incurvabat verò se  
ad eo, ut fronte terram contingeret: id  
quod tam emaciato debilitatōque corpori  
non poterat non molestissimum accidere.  
Erat præterea aspero cilicio à capite ad pe-  
des usque rotus coopertus: cūmque aliis  
multis sufficiat, longè mollius cilicium, di-  
em

em unum , aut medium etiam , induisse ;  
Sanctus hic intra annos plures quam octo-  
ginta , neque interdiu , neque internocu-  
sum aliquando exuit .<sup>a</sup>

*S. Iacobus Anachoreta tumulum , in  
decimum usque annum habitavit , & vivus  
veluti sepultus fuit , ut in tuto salutem suam  
collocaret : idemque ne Deo displiceret ,  
manum ardentibus flammis injicere non  
dubitavit .<sup>b</sup>*

*Ioannes Monachus , angustæ se rupi in-  
clusit , orans perpetuò , non sedens omnino , non  
dormiens , nisi quantum somni stans suffura-  
batur ; & Dominicâ solùm sumens Euchari-  
stiam , nihil aliud comedebat .<sup>c</sup> credebátque  
tamen ille ipse , omnia hæc modicum esse  
ad Æternitatem .*

*Abbas Pachomius , ut Dei caussâ aliquid  
faceret , eique placeret , super spinas nudis pe-  
dibus incedebat : & cum infigerentur ei plurimæ ,  
lætabatur , patienter ac fortiter ferens ; recolens ,  
quod Dominus noster in Cruce clavis fuerit digna-  
ter affixus .<sup>d</sup>*

R 2

Sara,

*a Sur. To. 1, 5 Ianuar. & alii. præsertim Raderus 3 parte  
Virid. cap. 4. quem vide. b Sur. 28 Ian. è Metaphraste.*

*c Pallad. hist. Lausiac. cap. 61; & Ruffin. lib. 2, cap. 15.*

*d Vita ap. Rosvveyd, lib. 1, cap. 11.*

Sara, virginum sacrarum Antistita, Christi amore ipsa se damnaverat, ne quam vitæ hujus delectationem admitteret; ipsosque sexaginta annos super alveum fluminis habitavit, illud tamen spectavit numquam.<sup>e</sup>

Philonomus presbyter, speluncâ se, tamquam captivum conclusit, ferreâ catenâ manus pedesque vinctus, sed mente semper in suum defixus Conditorem.<sup>f</sup>

Zoërdus Anachoreta, noctes ferè integras perpetuâ oratione fallebat. Cayata quercus domum illi præbuit. hanc intus totam acutis clavis ligneis asperavit: ad caput doliarem circulum, appensis quatuor lapidibus, affixit; ut quocumque fatigatum caput, vel reliquum corpus sese acclinaret, lapides aut clavos monitores sentiret.<sup>g</sup>

S. Guilielmus, à quo tempore ad DEVUM conversus fuit, numquam posuit loricam durissimam, galeamque ferream, quibus corpus ipse suum acerrimè divexabat.<sup>h</sup>

Sanctæ Christinæ porrò rigor & suppli-  
cia

<sup>e</sup> Pelag. libel. 7, num. 19. <sup>f</sup> Pallad. Hist. Lausiac. cap. 113.

<sup>g</sup> Maurus Boëmus Episcopus in ejus vitâ, & Harens Maji. <sup>h</sup> Lippeloo 10 Februarii.

cia, omnem vincunt admirationem, cuius vita tota portentum fuit. Iam fornaces illa succensas ingrediebatur, jam glacie duratas aquas subibat, modò è patibulis se suspen-debat, modò facinorosorum rotis membra illigabat, interdum per sentes & vepretæ volutabatur, canumque in se dentes arma-bat: ita ut corpus ipsius, adeò disceptum la-  
cerumque, unicum vulnus præferret.<sup>i</sup>

Quid jam ardorem commemorem vi-tamque rigidissimam Monachorum anti-quorum, quam suis se oculis spectasse te-statur S. Ioannes Climacus, ideoque audi-endus? Vidi, inquit ipse, quosdam ex innocen-tibus illis reis, totas noctes, ad usque manè, sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & natura luctantes, vique hujus penè fra-dos, dum nullam sibi penitus quietem indulge-rent, immo se-ipsos graviter adhuc objurgarent, & conviciis insuper & contumeliis excitarent. Alios cælum intuentes, & illinc opem cum la-mentabili voce gemitique implorantes. Alios i-tem, qui in precibus perseverabant, manus post

R 3

terga

<sup>i</sup> Sur. 23 Tunii, è Cantipratano; & Bellarm. de Gemitu Co-lumba lib. 2, cap. 9.

terga sceleratorum ritu revincti, vultus alto mæ-  
nore confusos humili desigebant, ut qui se indignos  
judicarent, qui cælum respicerent, nihil ausos  
loqui, nec ullam vocem mittere, nec precari,  
DEV Mye appellare. Sedeabant alii humili in pavi-  
mento supra cinerem & saccum, genibusque vul-  
tum tegebant, frontibus humum ferientes: alii  
affiduè pectus tundebant. — Erat verè ibi clare-  
que videre Davidis verba; spectare, inquam, af-  
flictos & curvatos usque ad finem totius  
vitæ, qui tota die contrastati ingredie-  
bantur k, olenibus jam & corruptis putrefa-  
ctisque corporis cicatricibus, ut qui nullam  
carnis curam haberent, & oblii erant com-  
edere panem suum, & potum aquæ la-  
crymis & fletu miscebant; pulverem &  
cinerem pro pane manducabant. Ossa cu-  
ti adhærebant, & ipsi tamquam fœnum  
exaruerant<sup>1</sup>. Nec aliud apud illos audire erat,  
quam hujuscemodi voces, Væ, vae miseris nobis,  
iterumque vae miseris nobis! merito, merito! par-  
ce, parce Domine! Alii clamitabant, Miserere,  
miserere! Rursus alii miserabilius, Ignosce  
Domini

k Psalm. 37, v. 7. l Psalm. 101, vers. 5 &  
seqq.

Domine, ignosce, si ullus veniae locus! --- Alii in gravi solis æstu se cruciabant; alii frigore se torquebant: alii cùm modicum quid aquæ libassent, desierunt, tantum ut ne siti enecarentur: alii cùm panem gustassent dum taxat, illum rursus procul ab se rejiciebant, se indignos dicentes, qui cibum humanum sumerent, qui bestiarum opera exercuissent. --- Erat videre in illici genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant: oculos exesos & depiles, altosque in sinus capitum recedentes. genas habebant saucias, & ardore ferventium lacrymarum adustas: vultusque pallentes & emaciatas facies, nihil à mortuis, si conferres differentespectora plagarum ictibus liventia, & è crebris pugnorum verberibus cruenta, sanguinis expectore rejecta sputa. Vbi illuc lectus quieti positus? ubi mundities, & adversus frigora vestis munimentum? rupta & lacera omnia & inquinata, sordibusque vermium scatentia. Nihil ad horum patientiam, obsessorum à dæmonibus vexatio: nihil mortuorum luctus: nihil in exilio degentium calamitas: nihil supplicium parricidarum: nihil revera illorum pœna, & inficta tormenta, ad voluntariam horum

castigationem & carnificinam. --- Alii Domi-  
num precabantur, ut morbo comitiali seu epile-  
psi. i. corriperentur: alii occæcari, & fœdum mi-  
serandūmque naturæ monstrum, portentum, ac  
spectaculum fieri cupiebant: alii nervorum stu-  
pore percuti, & paralysi dissolvi; dummodo ne  
futura inferorum supplicia experiri cogerent-  
tur.<sup>m</sup>

Neque verò inter horum temporum  
Ascetas defuerunt, qui prodigiosas ejus-  
modi, & pares Anachoretarum & Cœno-  
bitarum antiquorum rigori pœnitentias u-  
surpayère: quales Beatus Henricus Suso,  
Beatus F. Petrus de Alcantara, F. Ioannes de  
Cruce Carmelita, & P. Georgius Colibrant  
e Societate nostrâ<sup>n</sup>, atque ex omnibus Re-  
ligiosorum Ordinibus alii longè pluri-  
mi.

Omitto narrare de Martyribus. Ecquid  
non illi pertulerunt, ne divinæ voluntati,  
tametsi cum carnis, sanguinis, corporis, &  
vitæ impendio jacturâque implendæ, ulla-  
tenus

<sup>m</sup> Ita Climacus ex interpretatione Raderi nostri in Scala  
Paradisi Gradu 5. qui est de accurata & sincera pœniten-  
tia, carpitum, n. Vista & Elogia singulorum consulan-  
tibus.

## CAPUT XXXII.

393

tenus contrairent? S. Clemens, Præsul An-  
cyranus, octo ipsos & viginti annos, arroci-  
sima omnis generis tormenta sustinuit.  
Candentes subulæ per medios manūs digi-  
tos, ad ipsas usque ulnas eidein infixæ: galeâ  
ignitâ illius caput coniectum fuit: totius  
corporis ossa durissimis saxis comminuta-  
rotæ alligatus, virgisque crudelissimè con-  
citus, miserandum ipsis Gentilibus præbuit  
spectaculum<sup>o</sup>: & tamen ab ipso met Cle-  
mente, ut suo se probaret Redemptori, hæc  
aliaque gravissima supplicia, exigua esse cre-  
debantur.

Libertatem præ ipsa vita æstimare so-  
lent viri nobiles: verum tamen Sancti Pau-  
linus p & Serapion Abbas<sup>q</sup>, Deo placendi  
cupiditate accensi, sponte seipso vendi-  
derunt, & vilissima facti mancipia, in fudo-  
re vultus sui summoque labore, diù vixe-  
runt.

S. Iosaphat<sup>r</sup>, plurésque alii, amplissima  
regna in unius Christi gratiam deserue-  
runt.

R S

<sup>o</sup> Sur. 23 Ian. Vide Gallonium de Cruciatibus Martyrum.

<sup>p</sup> S. Greg. Dial. lib. 3, cap. 1. <sup>q</sup> Pallad. hist. Lant. cap. 33.

<sup>r</sup> Vita Barl. & Iosaphat cap. 36,

runt. Immensum illud DEO perfectè placendi desiderium, tantum in eis potuit, ut delicias, libertatem, vitam, honorem, & regna mundi reliquerint ; ardua quæque ac molesta ambiverint, tormenta expetiverint, in servitutem se dederint, sui humiliatione & contemptu exultaverint, extremam paupertatem amaverint, ipsamque adeò mortem amplexi sint. Nihil, quod DEI caussa aut pati aut facere possent Sancti, umquam illi detrectarunt. Quidquid præstari illa ratione poterat, in eo curas ipsi omnes, & Creatori suo serviendi studium defigebant & consumebant, adeò ut ex ipsis nonnulli plura propè egerint toleraverintque, quam humana natura posse videatur.

Ac licet præclara eorum opera cum summa admiratione in lucem proferri queant, incredibilis tamen ille animi æstus & generosa proposita, quia intus latentia, produce-re nullo pacto licet: nihilo minus, ut ad eorum imitationē accendamur, è multis, quos recensere haberem, animarū sanctorum & eleistarū DEI sponsarum, quibus caluerunt, fervoribus, cōtentus ero unico, sed admirabili

bili exemplo, quod hoc in genere nobis reliquit zelosus & maximè spiritualis Pater Iacobus de Saura. Planè confido futurum, ut ardor ille, quo illustris hic Vir DEO suo servire, ejusque in omnibus beneplacitū exsequi optabat, pudefaciat tepidos; fervētores verò, quasi admotis calcaribus, excitet inflammētque. Tam extraordinario flagrabat ille odio propriæ volūtatis ac libertatis, tantōque simul desiderio, Creatoris sui volūtatem summo studio alacritatēque complendi, ut ad hoc se inusitatis eximiusque oblationibus & holocaustis, (quæ de se ipse faciebat, offerebat, repetebat, renovabat, frequenter augebat) quantum posset, obligārit, istud unum perpetuò sollicitus & inhibans, ut DEI semper, numquam autem suam faceret voluntatem. Nemini equidem auctor sim, ut zelo parùm prudente, & inconsulto, istiusmodi sibi obligaciones & vincula imponat; omnes tamen adhortor, ut ipsius in operando fervorem imitentur. Hic DEI servus, divino amore sauciis, & inexplicabili Dilectio suo IESY gratificādi cupiditate æstuans,

R 6

pro

pro modico reputabat, quod DEI ubique exsequeretur voluntatem, si suam interea libertatem retineret: eam abolere propterea voluit, votoque se ad hoc obligare; in rebus omnibus, quod perfectius sit, facere promittendo. Porrò cum magnum præclarumve nihil ideo à se fieri existimaret, quod animam solum, non autem corpus suum & viscera DEO consecrasset & oppignerasset; obligationem hanc, Domino suo factam, ipsi cordi suo inscribere exoptavit. Quod quia facere non poterat, fecit certè quod potuit, pectusque sibi ipse à superiore corde aperuit, & proprio sanguine votum suum scripsit, nominisque adscripto firmavit signavitque. Vulnerus illud altè adeò in corpus descenderat, ac si cor ipsum & intestina penetrare voluisse; uti à morte, relieta inibi cicatrix, clarè testabatur. Attamen ejus curæ vel sic minimè remittebant, & hoc tali sacrificio neque famis amatoris IESV explebatur, neque sitis illa, ad aquas vivas anhelans, tantillum mitigabatur, nondum restinguebatur: arctius etenim se ipsum DEO obligare exoptabat. Quod cum fieri

fieri posse desperaret; unicum hoc remedium reperit, ut holocaustum suum repetet, verbisque singulatibus generalem oblationem clarius uberiorisque explicaret: id quod crebro admodum faciebat; eò quod ardor ille Deo serviendi, ipsumque magis magisque amandi, quo inflammabatur, quietem illi nullam permitteret. Primam hanc renovationem instituit in perygilio Deiparæ in cælum assumtæ: & quia verba ipsius, interioris animi sunt indices, affectusque inibi latentis testes certissimi; nequid illa de virtute dignitatique sua amittant, ea, ecce, cum fide reddimus; suntque illa ipsa quæ sequuntur.

Amore, inquit, Sanctissimæ Trinitatis, IESV, MARIÆ & Sanctorum omnium, voveo, quod ad maximam velim perfectionem conniti. Nostri, mi DEVS, desiderium meum, & quomodo moriar præ amore quem habeo, Tibi purissimo cum affectu serviendi. O DEVS meus, & Amor meus, suscipe me in servum Tuum, & meam mihi negligentiam benignus remitte. Voveo item, quod niti velim & aspirare ad Angelicam puritatem: quod ad rem omnino nullam afficiar, nisi ad Te,

& propter Te; neque aliud amabo, nisi Te DEVM  
meum: quod in rebus omnibus, ubi peccatum non  
cernitur, obtemperabo Superioribus meis, omnem  
que illorum voluntatem, affectu & perfectione,  
quantâ potero maxima, exsequar: quod quicquid  
faciam, dicam, cogitabo, desiderabo; id omne futu-  
rum sit amore Sanctissimæ Trinitatis, & Domini  
mei IESV, ac Dominae meæ MARIAE, Sancti Iose-  
phi, Sancti Patris mei Ignatii, & Curiæ celestis u-  
niversæ: quod regulas meas servabo, neque deli-  
beratè peccatum, etiam minimum, aut imperfe-  
ctionem ullam admittam: quod cum gratia DEI  
mei conabor esse in continuo actu exercitiisque a-  
moris, conformitatis, resignationis, & desiderio ei-  
de DEO meo placendi, & quod omni loco ac tem-  
pore in DEI præsentia amulare studebo.

Hic quoque admirabilis hominis zelus  
non conquiescebat: quippe non multò  
post, quia cor amore exæstuans aliter eum  
vivere non sinebat, istud ipsum votum ite-  
rare & restaurare aggressus est, novam illi  
obligationem addendo; Divinâ nempe ope  
adjutum, omni conatu suo, precibus, cete-  
risque quibuscumque posset modis, pro-  
curaturum se conversionem totius mundi,

cun-

cunctorum peccatorum, gentilium & hæreticorum, salutem animarum illorum, salutem item justorum, qui jam sunt, qui que erunt seculis venturis, eorumdémque perfectionem; voto se obstringédo, eum in finem quotidie salutem propriam, sanguinem, honorem vitamque suam offerendi.

Verum nec ista religiosissimi & DEVUM imitandi studiosissimi Viri animum explere poterant: quippe qui per holocausta priora summam se obstrictum crederet, ad studium tantummodo curamque singularem, in majori perfectione obtinendā, ponendam, non declarando, pro eo ac optaret, omnes & singulas particularium actuum obligationes. quare repetivit auxilium obligationem suam pristinam voto novo, faciendi scilicer id, quod supremum excellentissimumque foret in virtutibus omnibus, unamquamque speciatim designando, uti humilitatem, modestiam, silentium, paupertatem, castitatem, puritatēmque Angelicam, obedientiam, misericordiam, eleemosynas, patientiam, benignitatē, fortitudinem, justitiam, devotionem, pietatem,

grat

M  
m  
n  
e,  
id  
u-  
ni  
se-  
u-  
li-  
fe-  
EI  
a-  
ei-  
na  
lus  
ltò  
im  
te-  
illi  
pe  
te-  
ro-  
di,  
m-

gratitudinem, orationem, DEI præsentiam,  
mortificationem, zelum animarum, chari-  
tatem, &c. atque quotcumque possit, inter-  
nos externosque dictarum, & reliquarum  
virtutum omnium, nobilissimos actus quo-  
tidie exercendi: eatenus, (ita ipse loquitur)  
ut scienter numquam occasionem ullam se  
mortificandi elabi sibi patiatur, neque a-  
ctum virtutis ullum, si modò poterit, exer-  
cere prætermittat.

Hoc verò est, ô mei Lectores, fervore  
spiritu: hoc, servire tanto Amico quantus  
est IESVS: hoc, servum esse diligentem & fi-  
delem: hoc, obedientem se præstare filium  
DEI: hòc denique, amare DEV.M. Pudeat nos  
& confusio operiat facies nostras, cùm vi-  
demus esse alios, qui tantopere studeant  
placere DEO; nòsque nihilò seciùs adeò in  
eius obsequio remissos desidésque perma-  
nere. Minùsne fortassis bono IESV debe-  
mus; aut non æquè pro nobis IESVS mor-  
tuus est? Quid tandem agimus? quid spe-  
ctamus? Num fortè DEI servi esse nolumus?  
num filii Altissimi dici non curamus? num  
amantissimum nostri IESVM nostrum red-  
amare

amare recusamus? Opere profecto factis-  
que ipsis hæc omnia facimus: tuin quia pa-  
rùm seriò firmitérque decernimus; tum  
quia negotium ipsum languidè aggredi-  
mur. Non eò verò (quod etiam superiùs at-  
tigi) hæc à me commemorantur; quasi cu-  
piam, ut similibus quispiam Religionis vo-  
torumque se vinculis adstringat. Nam ut  
præteream nunc, ubi illa, quantumque, &  
quo-usque obligare possint; plerique pro-  
fecto summâ cum imprudentiâ, tantarum  
rerum vota conciperent: quoniam non o-  
mnibus necessariæ ad hoc spirituales vires  
conceduntur; sed neque id promiscuè com-  
munitérque expediret. Quod si verò ad  
concienda illa aptus aliquis & idoneus  
reperiretur; nullo tamen modo suis hic  
morem gerat desideriis ac voluntati, prius-  
quam bene multumque deliberaverit, &  
institutionem ac manuductionem circum-  
spectissimam, prolixasque orationes píu-  
dantis Confessarii, aut Moderatoris & Præ-  
positi sui adhibuerit. Quod maximè in hoc  
Viro est admirandum, qui Patres habuit  
Magistrósque spirituales, harum rerum ap-  
primè

primè gnaros; nequis illum malè in exemplum trahat, séque ipse immoderato fervore fallat ac seducat. Non judicabant illi zelo & ardori hujus Patris hac in parte adversandum, eumve impediendum esse, propter virtutis quam in ipso notabant minimè vulgarem excellentiam, copiosamque sancti Spiritus gratiam, quâ cælitus adjuvabatur. Id solùm inculcare & suadere conor, ut sponte nostra excitemur ad faciendum id, quod omni jure facere tenemur: atque hujus Dei servi exemplum ideo dumtaxat proposui, ut obligationes votaque ab ipso facta miremur; eadem autem ex sequentis ardorem summamque contentionem, in actionibus nostris imitemur: quam sibi acceptissimam esse, multis illis ac illustribus, quibus fideles suos famulos honorare consuevit miraculis, Deus frequenter pater fecit.

CA

## CAPUT XXXIII.

*Quantopere Peccatum Mortale o-  
disse nos, & detestari oporteat; utpote  
quod Divinæ Voluntati præcipue dire-  
cteque adversatur.*

**F**irmum istud constansque propositum & decretum, DEI in omnibus impletandi voluntatem, & illa Sanctorum sollicitudo perpetua, atque inexsaturabilia eidem placendi desideria, satiis produnt ac testantur insitum penitus & inustum animis eorum peccati odium ; propterea quod è diametro illud divinæ se opponat voluntati: ita ut argumentum hoc præcipuâ sui parte laborare, mutilumque esse & imperfectum videatur, nisi de ipsius quoque peccati gravitate damnisque breviter disseram, quantumque divino illud beneplacito contrarium sit atque adversum. præfertim cum repetita harum rerum consideratio nemini, quantumcumque perfecto, obesse possit ; verum prodesse potius, ut cum

S. Pe-

S. Petro a, totâ vitâ suâ defleat molestiam illam, quam unico forsan momento Conditori aliquando suo & Redemptori exhibuit, atque ut eam ipsam, qualibuscumque valet, obsequiis compenset.

Peccatum mortale ex natura sua rectæ rationi usque èò adversatur, ut nulla tesalia æquè illi contraria aut sit, aut esse, cogitandōve fingi possit; damnosius omnino ac perniciosius illud committenti, quām ipse Infernus, quantumvis peccator unico tantummodo momento ejusmodi culpæ reus viveret. Abominatur Deus & sancti Angeli peccatum super omnia: malum est malorum omnium maximum, summa miseria, infelicitas extrema, dedecus turpissimum. quod ipsum quantò certius testatiùsque est, tantò faciliùs (prò dolor!) obliviscuntur id homines: & cùm percelli deberent ac exhorrescere, recordantes unum unicum ex toto humano genere reperiri, qui in tantum malum calamitatēmque incideret, ut vel semel peccare posset; non modò hoc non

a M. Marulus lib. 4, cap. 10; qui citat S. Clementis Recognitiones.

non faciunt, sed peccati mortalis sibi conscientia, etiam lectum petere nihil reformidant. Quare ut horrorem aliquem execrandi hujus infinitique mali concipiamus, maxime pere conducent Considerationes, quas subjunigo.

Meditare itaque, ô homo, quām detestabilis sit malitia peccati, etiam unici, tametsi neque prohibitum illud fuisset, neque Infernus ei puniendo paratus esset. Solā rationis naturalis luce prædicti Philosophi complures<sup>b</sup>, judicarunt peccatum, ob solam suam fœditatem, ullius boni præsentis vel possibilis causā, committi non debere; immo vitæ priūs, quām illius committendi, periculum adeundum: quoniam peculiariiter adversatur naturæ, rationi, ac dignitati hominis, qui, *imago & gloria DEI*<sup>c</sup>, per peccatum similis fit jumentis insipientibus<sup>d</sup>, prorsus sicut equus & mulus, quibus non est intelle-

ctus:

<sup>b</sup> Plato, Cicero, Stoici, Epictetus diversis locis; Seneca epist. 88, 97, & alibi. Vide Plutarchum in Demetrio, Lipsium in Manuduct. ad Stoic. Philosoph. lib. 1, cap. 13, & eruditissimum Raynaudum in tessellato Opere de Virtutibus & vitiis lib. 1, sect. 2, cap. 1. <sup>c</sup> 1 Corinθ. 11, v. 7. <sup>d</sup> Psalm. 48, v. 21.

ctus<sup>e</sup>: atque ea cauſa est, cur tenebras a-  
ment improbi, in ſecreto peccaturi; quòd  
facinorum ipſosmet ſuorum pudeat. Hæc  
peccati turpitudo tanta eſt, ut S. Anſelmuſ  
dicat: *Si hinc Peccati pudorem, & illinc cerne-  
rem Inferni horrorem, & neceſſariò uni illorum  
haberem immergi; priùs me in Infernum merge-  
rem, quam Peccatum in me immitterem. Mallem  
enim purus à Peccato, & innocens Gehennam in-  
trare, quam Peccati forde pollutus, Cælorum  
regnatenere: cùm conſtet, ſolos malos in Inferno  
torqueri, & ſolos bonos in Cæleſti Beatitudine fo-  
veri.* <sup>f</sup>

Peccatum mortale injuria eſt adverſus  
Deum ipsum: ideoque pro malo infinitè  
tibi noxio habere illud debes. Injuria qua-  
vis hòc major censetur, quòd offendens vi-  
lior, & offendus eſt dignior. Quis verò tu-  
es, qui immensum Deum offendisti, ſi

cum  
e Psal. 31. v. 9. f eff. S. Anſelmi de ſimilitud Caput 190. Simili-  
aliorum ſenſus leges apud Philippum D'oultremaꝝ in Tada-  
gogo Christiano, part. 1, cap. 2, ubi Peccatum Mortale pulchrit-  
depingit; uti & in Rogo damnatorum P. Drexelius, cap. 14 &  
15; Volumine integro (Malum ſummi mali inſcribitur) P. Io-  
annes Pelecyus; & lib. 13 de perfectionibus divinis, cap. 26 &  
ſeqq. more ſuo, id eſt, plane & doce R. P. Leonardus Leſiini:  
enjus uti habemus libroſ de Summo Bono, utinam perinde ex-  
tarent, quos meditabatur, de Summo Mele!

cum toto te mundo componas? Orbis hic universus, cælo comparatus, punctum est: cælum autem quantum quantum, Deo collatum, quid est aliud quām nihil? & quis est Deus, quem tu offendis? Dominus omnipotens<sup>g</sup>, in cuius conspectu columnæ cæli contremiscunt, & parent ad nutum ejus<sup>h</sup>, & sub quo curvantur qui portant orbem<sup>i</sup>; Majestas, Bonitas, Sapientia, Autoritas infinita. Quod si itaque adeò tu vilis es, ut puncto, hoc est, terræ comparatus, nihil sis, Deus autem tam immensus; sequitur, offensæ in ipsum à te admissæ gravitatem esse infinitam, contemptumque & despectum turpissimum, quo major aliquis nec esse, nec cogitari possit.

Injuria porrò ista, quā Deus peccando afficis, non est injuria qualiscumque; utpote, quæ Deo honorem suum, ipsamque vitam parat eripere, illum interficere, & quā potest, discerpere, conculcare, & annihilare. Atque hoc modo dicit

<sup>g</sup> Gen. 17, v. 1, & passim alibi. <sup>h</sup> Job 26, v. 11. <sup>i</sup> Job 9, v. 13.

cit S.Bernardus, quod, cùm peccatur, ipsum, quantum in ipsa est, DEV M perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, DEV M peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse DEV M; quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ DEI potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. k

Vide deinde, quid peccatum fecerit in ipsis Angelis, nobilissimis totius universi creaturis, quos in cælo DEVS creaverat, multisque supernaturalibus donis liberalissime exornaverat. Similatque unicum illi cogitationis mortalis peccatum admiserunt; eodem temporis momento, omnibus ornamentis suis spoliati, ad inferos præcipitati, eque Angelis Dæmones facti sunt. Stupendum enimvero malum esse necessum est, quod in creaturis longè optimis, tam inopinatos peperit effectus! Quid dices, quæso, si mille Reges uno ordine in cruce sublatos aspiceres? Infandum utique scelus concepisse oportuit, cuius gratia talibus

k S.Ber.ser.3.de Resurrect. mihi pag.38.

bus nulla facta fuerit. Verum quantulum istud est, ad interitum prope innumerabilem spirituum, multis partibus praestatorum; quorum nempe vel unus aliquis milles Imperatoribus fortior sit & potentior? Si mare melleum, unicâ fellis guttâ in illud illapsâ, totum amarescere cerneremus; quantum huic guttulae vim atque efficien-  
tiam tribueremus? Vnica, ut sic dicam, pec-  
cati guttula ubi Angelos aspersit; DEVM ve-  
hementer adeò exacerbavit, ut tanta illa  
bona, quibus eosdem ditaverat, ipsi deinceps placere, aut à gravissimis peccatis, &  
quām celerrimè exigendis, nullo illum modo abstinere potuerint. Fuit profectò  
vis illa maxima, quæ unico velut iœtu, altissimas istas Cedros, plantatas in domo Domini<sup>1</sup>, & in deliciis Paradisi DEI sui<sup>m</sup> colloca-  
tas, radicitus extirpavit.<sup>n</sup>

Adam primus noster patens, dilectus à  
DEO, innumerisque item naturæ ac gratiæ  
donis locupletatus, caput & princeps hu-  
mani generis, eò quod unicum lethale in-

S gluviei

<sup>1</sup> Psal. 91, v. 14. in Ezech. 28, v. 13. n Vide Salianum de Ti-  
more DEI lib. 1, cap. 4 & seqq. haec bene edifferentia: item  
in Apparatu ad Annales sacros.

gluviei peccatum admisisset; turpiter mox  
gratiâ, originali justitiâ, totque aliis fe-  
licissimi illius statûs prærogativis exutus,  
cumque insigni ignominia Paradiso spul-  
sus, ad perpetuum exilium, ad mortem cor-  
poris & animæ, miseriâsque æternas ac tem-  
porales, cum omni posteritate sua, damna-  
tus fuit. Quidquid in orbe malorum reperi-  
tur, id hujus peccati poena est: ab hoc mor-  
bi, bella, pestes, tristitia, mortesque homi-  
num, qui sunt, fuerunt, & erunt, qui innume-  
rables conficiunt myriades, planè omnes  
existunt. usque è unica subinde mortalis  
noxa, non unâ, sed infinitis mortibus casti-  
gari meretur. Concipe animo ingenté acer-  
vum & cumulum, ex hominum hactenus  
mortuorū, & deinceps ad supremum usque  
judicii diē moriturorum, ossibus exstructū.  
bone Dei, quantam eam cladem stragém-  
que fuisse oportet! & hanc tamen omnem  
accersivit unum unicum peccatū mortale.  
quamquam si, quidquid illud mali attulit  
corpori id cum damnis, quæ ab eodē accipit  
anima, comparetur; rudis solum umbra est:  
tot quippe peccatum perdidit mactavitque

ani-

animas, quot Adami filii, originariæ culpæ obnoxii, sunt concepti. Quis jam insanius venenū istud haurire audeat, cuius ea est efficacia, ut corpus & animā, non unius dumtaxat hominis, sed hominum planè omnium, crudelissimè interficiat & perimat? <sup>o</sup>

Angelorum & Adami peccata tam acriter punita fuerunt, quamvis iis, quibus nostra, circumstantiis non aggravarentur. Neque enim viderant profusum illi suā caussā Sanguinem Filii DEI : adeoque non deliquerunt adversus DEVM, qui tot ipsos, quos nos, beneficiis sibi obligaverat. Non peccarunt in DEVM, qui propter illos factus erat Angelus, qui pro illorum salute guttam Sanguinis ullā sudaverat, illusus & mortuus fuerat. Nostra peccata immensūm illorū culpæ præponderant; quod committantur in DEVM, optimè de nobis meritū, qui propter nos homo factus, propter nos Sangui- nē fudit, & seipsum nobis in cibum donavit.

S 2

Non

<sup>o</sup> Vide iterum Salianum de Timore, lib. 5 ferè toto, & Annal. To. 1, anno 1; & Genes. cap. 3. addo Opus Morale T. Iacobi Llobetii, & T. Georgii Reeb Prudentia Christiana Motiva.

Non sine ratione dixisse ferunt Sanctum Augustinum: *Domine, qui tibi ob Creationis beneficium non servit, Infernum ille meretur: sed qui tibi ob Redemtionis beneficium non servit, novo illi Inferno opus est.* tametsi enim ex se peccatum, ejusmodi non esset, ut i jam indicare cœpi; quia tamen summa est ingratitudo adversus Christi Sanguinem, mille iterumque mille mortibus expiari meretur.

Quod si, cùm plebejo alicui homini manus defecta esset, Rex potentissimus, ejusdem misertus, quod alium ejus juvandi modum non videret, suam sibi manum præcidi curaret, subdito suo donandam, ut sic duas hic manus haberet; quanta ista Regis foret bonitas? & quas non homo ille eidem gratias debereret? Si deinde accideret, ut is eamdem manum, quam à Rege receperisset, in ipsūmet Regem extenderet, eiique impudentem alapam infringeret, aut pugione etiam confodere tentaret; qualis, obsecro, quāmque inusitatæ malitiæ facinus istud foret? Statuat apud se quisque, quod

*p. S. August. apud Roder. part. 2, tr. 7, cap. 1. Sancti Viri verba Lector substituas, cùm repererit.*

quod supplicium hic talis proditor, perfidusque nebulo commiseretur. Verumtamen quid sunt ista omnia, cum benignitate Dei nostri, malitiâque ingratitudinis nostræ, comparata? Non equidem unicam diu taxat manum, sed omnem animæ corporisque vitam amiseramus, quando Christus non manum tantummodo, verùm membra sua omnia, ipsamque adeò vitam suam, toto hoc mundo, quin' cælo etiam, infinites pretiosiorem, nobis donavit; idque ideo, ut ne periremus, sed haberemus vitam æternam<sup>i</sup>. Nos tamen adeò flagitosè ingrati sumus, ut ipsísmet suis beneficiis ilum offendamus: non solùm manibus, & corde ab ipso nobis dato; neque corporis solùm, sed ipsâ quoque fidei vitâ, quam ille nobis, vitæ propriæ impendio promeruit, malè utendo: ad peccandum scilicet abutendo cognitione illa, quam habemus de infinita ipsius misericordia & patientia; cui confitam multi peccârunt hactenus, quotidièque peccant. Ecquæ tandem ista est species impietatis? Quis ille incomprehensibilis, ac

S 3

num<sup>e</sup>

q. Ioh. 3, v. 16; &amp; x. Io. 4, v. 9.

numquam cogitatæ malitiæ modus? Et cur non morimur præ pudore & dolore, quod aduersus DEVUM tam bonum, tali ratione, nefarios nos proditores exhibuerimus?

Quam præterea gravem eam esse oportet culpā, quæ æternis ignibus vindicatur, peccati scilicet malitia adeò est infinita, ut tormenta mortémque mereatur infinitam. Quamvis Devs summa sit suavitas, ipsaque mansuetudo; sine omni tamen commiserationis affectu, creaturas suas & opus manuum suarum æternis torri incendiis conspicatur: neque id bonitatis clementiaeque defectu, sed ob summam admirabilemque peccati malitiam. Intimis profecto sensibus ipse tu commoverere, si, non jam dicam hominem, sed si vel canem aliquem, mediae horæ spatio, in calcaria fornace ardere cerneret: tam stupenda tamen est peccati gravitas, ut tenerrima illa viscera misericordiæ DEI nostri, infinitumque ejusdem amorem impeditat, quod minus ille, ad aspectum creaturæ suæ, inter ignes perpetuos morientis & viventis,

ventis, quidquam moveatur; atque ut inferorum supplicia, minora etiam sint & leviora, quam peccato debebantur.

Majorem fortasse, quam ex dictis, horrorem concipies, DEI Filium pro peccato non suo, sed alieno mortuum aspiciens. O horribilis malitia, quæ ipsam infinitam Bonitatem, suminamque Optimi IESU innocentiam sic tractavit! Si Regem justissimum, Patremque benignissimum, in publico theatro, de unigenito filio suo, regnumque omnium herede, capitale & crudelis judicium exercere videremus; atque si cum stupore cogitantibus nobis, quod tandem ipsius delictum facinusque improbisimum, tragœdiæ usque eò lucuosa causam dedisset? responderetur, ad mortem tali filio decernendam, parentem non propriâ Regii juvenis, sed alienâ culpâ adductum esse; quis, quæso, noster de culpâ istâ sensus judiciumque futurum esset? aut quis non aliud quidvis, quam illius reus esse, dicive mallet? quónam ergo modo potest non contremiscere, quem

S 4 pre-

premit & urget Sanguis IESV Christi, qui-  
que reus est mortis ipsius? Vide, amabo,  
num exigui id sit momenti, quod fecisti;  
cùm ideo Crucis affixus sit Servator mun-  
di.

Considera insuper admirabilem illam  
mutationem, quam peccatum mortale ad-  
fert illud committenti. fit enim talis ex a-  
mico DEI, ejusdem inimicus: ex filio Altissi-  
mi, mancipium Dæmonis: ex herede regni  
cælestis, reus suppliciorum Inferni. Qui-  
cumq; letaliter peccat, perdit jus quod ob-  
tinebat ad sempiternam gloriam: perdit  
gratiam, & quæcumque opera bona fecit,  
quæque eo in statu faciet; cùm sit hostis  
DEI, qui ita peccatum odit, ut Ludovicus  
Blosius verè dixerit: *Si Virgo, quæ DEV M ge-  
nuit, & numquam offendit, peccasset mortaliter,  
ac sine divina contritione mortua esset; ipsa Cæ-  
lum numquam obtinuisse, sed cum Dæmonibus  
in Inferno cruciaretur<sup>r</sup>.* Dominus ille, qui su-

prema

<sup>r</sup> *Blos. Monil. spirit. cap. 1, ad finem et lib. 4. Revelat. S. Birgit-  
ta, cap. 7. Plurimum, puto, ad peccati detestationem concipiendam juvabunt ejus, quem dixi, P. Iacobi Saltani de Timore  
DEI, libri novem. Vide item de peccati tyrannide P. Ioannem  
Crombecium de studio perfectionis lib. 1, cap. 25.*

## CAPUT XXXIII.

417

prema est bonitas, quique intuetur & pascit omnes bestias agri, à peccatore oculos suos avertit, propter culpæ ipsius fœditatem. Detestabilis enimvero iste peccati fructus est, facientis, ut Devs & Angeli hominem, pro quo Sanguis Domini IESV fusus est, ne eo quidem dignentur aspectu, quo serpentinum & basiliscum ; atque ut magis ille sit abominandus, quam canis mortui cadaver, vermes gravemque odorem exspirans. Quid tibi prodest pulcritudo, quid corporis valetudo, si exsecrabilior fœdiorque es, quam virulentus bufo, & multi fortè Dæmones. Quid tandem horrebis, si ista detrimenta non horreas ? Nihil nobis nocet, nisi solum peccatum : ideoque S. Chrysostomus dicebat, *Neminem laedi, nisi a seipso;* quoniam si peccatum excipias, quod ex sua quis voluntate committit, ab re alia nulla metuere habeamus.

Circumstantiæ porro & adjuncta tuorum peccatorum, mirum illa in modum augent & attollant. Namque non semel, sed særissimè Redemptorem tuum offendisti:

*S. Chrysost. Tomo 5, dissertatione singulari, & luculenta.*

disti: & postquam ille toties tibi delictum tuum condonaverat, repetivisti tu tamen illud, peccavistique iterum, non coactus, sed sponte & voluntarie, velut si pauxillum aquæ biberes. idque non absente DEO, sed in ipsius oculis & conspectu: non offensus ab illo, nisi forte, quod pro te mortuus sit: non realiqua tua, sed ipsis metu divinis beneficiis: non ut alteri cui piam DEO, sed ut hominibus, ipsique Dæmoni, ac fœdæ cupiditati desiderioque tuo placeres & satisfaceres: non pro regno æterno, sed ut illud perderes: neque adversus Regem qualecumque, aut hominem malum, sed adversus immortalem DEVUM. Gentilis si essem aut Maurus, haberetis fortasse quod obtenderes; Christianus autem cum sis, quid tandem potes excusare? Iosephus & Susanna, antequam scirent Christum pro hominum salute mortem oppetivisse; mori elegerunt potius, quam delectationi turpi consentire. attende igitur, quid te facere deceat, ut peccatum aliquod devites. Mori eo fine, parum est: quia Christus

¶ Genes cap. 39, v. 8; & Danielis 13, v. 22.

stus pro te , atque ut ne illum offenderes,  
prior ipse mortuus est. & quantulum hoc  
sit, ut animæ vitam serves, corporis amitre-  
re: Ex his omnibus collige & concipe odi-  
um, detestationemque peccati supra omnia  
detestabilia; decretum quoque æternum &  
constantissimum, rumpendi priùs, quàm  
DEVM offendendi.

Addamus nunc aliquid de peccati medi-  
cina ; atque ex hujus summâ necessitate,  
mali magnitudinem & gravitatem clariùs  
perspiciamus. Et tollendo, finitum & crea-  
tum remedium nullum sufficiebat , eò  
quòd ex se peccatum esset immedicable,  
præterquam Sanguine Vnigeniti Filii  
DEI: in tantum, ut, nisi pretium offerre-  
tur infinitum , vel prout uno solùm pec-  
cato, satisfieri nullo modo posset. ex quo  
colligitur, quàm immane illud malum sit,  
cui aliud minúsve pretiosum remedium  
prodeße nullum valuit , quàm præstata pro  
eo satisfactio pretiūmque infinitum , quod  
nobis per sanctissima Sacra menta applica-  
tur: ad quæ tamē ipsa, nisi Dei gratiâ adjuto,  
nemini patet accessus. Peccare nos quidem

S 6 possu-

possimus: at solis nostris viribus, è peccato  
emergere non possumus. Quis in puteum  
se præcipiret, unde nequeat evadere? quis  
angustum subeat carcerem, clavémque al-  
teri committat? Peccatum nempe, præter-  
quam quòd malitiam habeat improbita-  
témque summam, ex se præterea est insa-  
nabile, solo curandum Christi Sanguine, &  
Dei misericordiâ: quæ promta semper est  
ac facilis ad ignoscendum, manumque no-  
bis porrigendam, dummodo sincerè do-  
leamus. Verùm quia peccatis mederi præ-  
teritis, non est satis, sed futura quoque præ-  
venienda sunt & impedienda; idcirco reme-  
dia aliquot, ad hoc opportuna, subministra-  
bimus.

Primum est, Sacmenta Pœnitentiæ &  
Eucharistiæ frequentare, etiamsi peccati  
gravioris conscientia te non arguat: pro-  
pterea quòd horum mysteriorum crebrio-  
re usu confirmetur anima, ad temptationibus  
resistendum. Modus iste ac ratio in primis  
utilis est, ut in gratia perseveremus. Si quis  
itaque propositum concepit non peccan-  
di, eo solo ne sit contentus; sed media insu-  
per

per ad hoc consequendum idonea adhibeat: quod nisi facit, de propositi ille sui valore plurimum sanè potest dubitare. Ut Toletum proficiscaris aut Hispalim, haudquam sufficit id velle; sed in viam te des oportet: nam qui verè & seriò vult finem, media quoque, quibus ad illum pertingat, velle debet. Medium ad non peccandum, frequens est usurpatio sanctorum Sacramentorum: quam qui negligit, est quòd jure sibi ille metuat.

*Secundum, Occasiones fugere mundique vanitates: quippe cùm natura virtúsque nostra adeò infirma sit & imbecillis; magnum subimus periculum, si occasiones peccatorum non vitemus. Neque enim adjumenta tantùm & modi, ad perseverandum in gratia proficui, sunt usurpandi; sed obstacula quoque, quæ illam remorantur, tollenda: quod potissimum faciunt turbæ vitae secularis, vanitates, deliciæ, voluptates, ambitione, avaritia, & amor carnis. Sicui hoc difficile arduumque videatur, is velim magnitudinem attendat mali, quod optat persanare: intueatur idem lethalis peccati fœditatem,*

tatem, damna, & malitiā infinitam; quodque ad unicum dumtaxat istiusmodi peccatum evitandum, tamē si illud vix admissum statim condonaretur, pérparum quis faceret, etiam mille regna, & Orbis imperia, omne mundi aurum, mille commoditates, & mille, si haberet, vitas contemnendo. Credere porrò sibi que persuadere, adversus malum isthuc infinitum, profecturam diligentiam industriāmque aliquam, nullo cum dolore molestiāve conjunctam; istud profectò aliud non est, quam DĒVM, & Christi Sanguinem, animam suam, natūram omnēm, ac rationem, cui peccatum adversatur, contemnere & aspernari.

Tertium, Oratio & lectio spiritualis: partim, quia oratione DEI gratia obtinetur; partim, quia eādem oratione & meditatione, cognitio æstimatiōque rerum æternarum comparatur: quandoquidem omnis mali nostri fons & origo, neglectus est considerationis. *Desolatione*, ait Ieremias, *desolata est omnis terra: quia nullus est qui recognitet corde<sup>u</sup>.* Ecquis enim inveniatur, qui si,  
quid

*¶ Ierem. 12, v. 11.*

quid sit peccatum, verè comprehendat, ob illud patratum, dolore vehementi non penitus contabescat; cogitansque illud adhuc committi à se posse, magnopere exhorrescat? Lectio piorum librorum, qui fraudes & pericula detegunt, veritatēmque patefaciunt, hanc considerationem non mediocriter adjuvat: cùm sāpe eveniat, ut ad orandum inhabiles, ad lectiōnem aptissimi simus, quodque discursu nos & ratiocinatione propriā inter meditandum assūturos despérabamus, id aliena legendō edoceamur.

*Quartum,* Summo studio omnia cavere peccata venialia. ita fiet, ut à lapsu immortalia immunes simus: ideo quod venialis noxa hominem disponat ad mortalem, uti gravis infirmitas ad mortem. Qui timorem Dei perdit in modico, paullatim illum quoque perdit in magno: & posteaquam assuevit anima voluntatem Dei violare in rebus parvis; idem, ubi se occasio dederit, in magnis itidem facere, parūm reformidat.

*Quintum,* Opera aliqua supererogationis,  
hoc

hoc est, plus quām exp̄ressē imperatum sit,  
 exsequi: ita ut non sufficiat alicui, sola DEI  
 præcepta & mandata, ad salutem omnino  
 necessaria, observare; sed hoc ampliūs ope-  
 ra bona faciat, ad quæ non obligatur. Sunt  
 enim doctissimi Theologi <sup>x</sup>, qui dicant, E-  
 um, qui solām habeat voluntatem præcepta  
 divina servandi, aliāque opera bona exerce-  
 re nolit; ob manifestum in mortale pecca-  
 tum labendi discrimen, de salute suâ peri-  
 clitari.

*Sextum*, est consilium Spiritū sancti:  
*Memorare novissima tua, & in æternum non pec-  
 cabis* <sup>y</sup>. Etiam si immortales essemus; adeò  
 tamen grande malum est peccatum, ut nec

pro

<sup>x</sup> Sanchez in *Opero morali lib. 1, cap. 5, n. 4*; Propositum,  
 ait, committendi omnia venialia, quotquot se obtule-  
 rint, solāque mortalia vitandi, est mortale, quamvis con-  
 temptus desit. sed contrarium docet P. Granado in 1, 2, con-  
 troversia 6 de peccatis, tr. 2, disp. 6 & 7; ubi refert Doctores  
 quosdam, docentes, Teneri Religiosum submortali, pro-  
 gredi in via perfectionis, etiam in rebus non obligato-  
 riis. Auctorem Vitæ hoc innuere suspicor; Eum, qui non  
 nisi præcepta Decalogi, aliāque graviter obligantia ser-  
 vare vellet, nihilque aliud boni agere; expositorum se  
 periculo labendi gravius, non quidem præsenti & pro-  
 ximo, at saltēm remoto, ut vocant: ac proinde, licet eâ  
 voluntate seu proposito non peccaret mortaliter; ver-  
 retur tamen in discrimine sic peccandi. <sup>y</sup> Eccl. 7, v. ult.

pro mille mundis sit faciendum : verūm  
mortales cùm simus, & certi, nobis esse mo-  
riendum ; quanta insania est, onus hoc in-  
tolerabile sibi metipsi imponere ? Quis in-  
telligens, se à peccato perpetrato mori mox  
posse, siquem adhuc sensum habet, Æterni-  
tatis periculum ultro adire velit ? Multi  
subitaneā morte intereunt : quódque tot  
alijs évenit , tibi quoque evenire queat.  
Mors te peccantem occupare potest, nul-  
lumque pœnitentiæ momentum concede-  
re; & quid tum misero te fieret? Scimus a-  
liquibus id usuvenisse. Ergóne salus tua tale  
negotium est, quod sic in casum dare liceat?  
At, Non id mihi accidet, dices tu fortè. di-  
cebat hoc ipsum ille, cui accidit. Potest cer-  
tè tibi quoque accidere: & fac ita esse; quid  
tunc remedii , ô infelicissime mortalium,  
habiturus esses ? Non ea profectò res est  
Æternitas , quæ in tam præcipitem locum  
periculūmque adducenda videatur. Et quis  
corpus suum, in vermes abiturum, intuens,  
sic illud fovebit , ut quò turpi hoc quadam  
& beluina voluptate perfruatur, Christum  
Dominum iterum crucifigat, séque ipsum  
in Infernum præcipitet?

Mor-

Mortis etiam memoria efficit, ut peccatum horreamus. si enim mors corporis censetur esse *terribilium omnium terribilissimum*<sup>z</sup>: quid erit mors animæ, hoc est, peccatum? Anima gratiâ Dei destituta, potius censenda est mortua, quam corpus, vacuum animâ.

Iudicij verò supremi recordatio quem non à peccato deterreat: maximè quia die illâ tremendâ, ratio reddetur illi ipsi, quem offendimus, judiciumque hoc eodem modo instituetur, quo Deum antè ipsimet judicavimus. Mortali quippe peccato condemnamus Christū Dominum, illumque non Barabbæ, sed ipsi Lucifero postponimus. Potestne indignius quidpiam, magisque abominandum & detestandum excogitari: quid respondebis, obsecro, quando tibi objicietur infinitus iste, quo obstrictus tenēris, Dei amor, infinitaque ejusdem beneficia, & Sanguis Filii Dei, quem, ut

Sata-

<sup>z</sup> Aristoteles 3 Ethic. cap. 6. de quo ad fructum tuum vide Carthusiani Novissima lib. 1, art. 2 & seqq. Granatensis Ducem lib. 1, part. 1, cap. 7 & plures alios: sed & Io. Mariavam nostrum, qui libris de morte & immortalitate, mortis bona præditas.

Satanæ placeres, despiciatui habuisti, penitusque conculcasti? Prô nefas! Christianum hominem, eum qui pro ipso in Crucem actus est, Crucis rursum affigere, solùm ut Dæmonibus, sanguinem suum fitientibus, gratificetur? eumdem, (uti S. Paullus loquitur<sup>aa</sup>) *Filiū DEI conculcare*, ut hostem ipsius exaltet? *Sanguinem* divinum, sordidissimæ voluptatis gratiâ, tamquam rem vilem abjectamque, *pollutum ducere & contemnere*? Numquid hæ injuriæ iustusmodi sunt, propter quas ante severi justissimique Iudicis tribunal meritissimò paveamus?

Memoria porrò inferorum ea est, quæ horrore comas erigit, totóque nos corpore perhorrescere faciat; cùm peccatum letale, quamvis unicum, malum sit gravius, quam mille Inferni: adeò, ut æterna priùs supplicia sint subeunda, quam puncto temporis, uni tali peccato consentiendum. Parvumne istuc malum censeatur, quod tormentis æternis in immensum magis est? Infeliciar ille est & miserabilior, qui

<sup>aa</sup> *Hebr. 10. v. 29.*

qui unicâ letali noxâ fœdataam habet animam, quâm si corpus ipsius quotquot in Orco sunt Dæmones insidérent, eorumque singuli illis illud ignibus cruciarent, quibus simul damnati omnes torquentur. O prodigiosa mortalium cæcitas, qui tantorum incommodorum nullam planè habent rationem; atque uti non æstimant malum culpæ, ita neque ponderant malum pæna!

Auderésne, ô homo, Inferni cruciatus horâ unicâ experiri? quomodo ergo in discrimen te cōjicis, eos æternam sustinendi? Die medio, dentium aut calculi acutos dolores ferre non potes; & quamdiu Deus erit Deus, mala ferre vis omnia? Nōris velim, illos, qui in Inferno ardent, æquè parùm sibi olim persuasissē, eò se perventuros, hâcque persuasione inductos peccavisse: nunc tamen illi deceptos se, turpiter *erravisse*<sup>bb</sup> fatentur. Tibi, quæ singularis est Dei benignitas, tempus adhuc superest, aut de peccato dolendi, aut illud non committendi. Heu! quâm grave & noxiū est, decipi

bb Sap. 5, v. 6.

cipi ibi fallique, ubi de totâ agitur Æternitate! Aperi, quæso, oculos. Multi apud inferos ob unicum solùm peccatum plectuntur; tua verò delicta sunt multiplicia: & nō dum times? Non es equidem Angelis melior: nihilo minus Lucifer, propter unicam, quam admisit, momentaneam noxam Diabolus factus est, eritque talis in seipsernum. O infelicem illum ac miserum, qui æternūm numquam obtinebit finem suum, sempérque desperabit id assequi, ad quod natus est! Os aliquod luxatum, quantum dolorem creat? quid ergo erit anima, à fine suo in perpetuum exclusa? Si peccatum & Infernus aliud nihil mali afferrent; vel unum istud sane quām horrendum est.

Proderit similiter, gloriæ meminisse & felicitatis, quam peccando amittis. Congere omne mundi aurum, omnésque thesauros in unum cumulum; ac cogita, & hos & illud ad unum aliquem hominem pertinere. quid si jam opes has tantas unicus tertæmotus hauriret? quanta ea jacttura foret, quāmque inexplicabile dampnum, homini

præ-

præsertim avaro & cupido? Verùm quid  
hoc est & quantulum, ad eum, qui mo-  
mento unico, sponte & volens, universas  
cæli divitias amittit? Siquem manè Regem  
conspiceremus, eumdémque vespere nu-  
dum adeò, ut ne vestem quidem haberet,  
corpori tegendo; quale id æstimaretur in-  
fortunium? Majus tamen est, hominem vi-  
dere, qui manè heres regni cælorum, sub  
noctem nihil omnino reliquum habeat, ex  
DEI filio mutatus in mancipium Dæmonis.  
O stupidam hominum prodigalitatem! O  
insaniam! Nescio equidem, quo hanc rem  
nomine exprimam, quod momento uni-  
co, idque ob delectationem putidissimam,  
voluptates deperdamus æternas. Nostine,  
mi homo, quid dissipes perdásque, quoties  
graviter peccas? Regnū perdis, o bone: de-  
licias perdis sempiternas: rem perdis, & titu-  
lum filii DEI: Deum perdis: perdis, ut bre-  
viter absolvam, quidquid perdi potest.  
Satin' sanus es? odistine te ipsum? num  
desperatus es, animumque penitus abje-  
cisti? Redi, quæso, ad cor, & respice bona  
illa quæ parata habes, si Domino tuo IESU  
Chri-

Christo fidelis fueris: respice pretiosum ejus Sanguinem, ideo profusum, ut te ad regnum suum, ad regnum opulentissimum, bonisque omnibus & aeternis abundantissimum, perducat.

Multum adhac conductit, Opera bona, quæ facis, hoc animo Deo offerre, ne te in peccatum labi permittat, atque dab eo quamprimum liberet: præcipuo quodam zelo cavendo, necubi ipsum offendas; magnamque simul humilitatem, & de præteritis peccatis timorem conservando. Si viperam vestibus se tuis insinuasse vidisses, quam inde erepisse, omnino nescires; mirè profectò angere-  
ris: atqui satis scimus, peccatum subiisse animam nostram; expulsum esse, id vero perinde certum manifestumque non habemus: ut quid igitur, quasi in tuto sint omnia, solutè adeò & negligenter salutem nostram curamus?

Magnam id quod dixi, excitare in nobis humilitatem deberet, ac sollicitudinem peccata nostra expiandi; tum operibus extensis, cujusque statui & vitæ conditioni

con-

congruenter , tum etiam internis contritionis amorisque actibus, idemtide m repetendis : nam hoc ipsum proderit, ut à novis in illa lapsibus præservemur.

Advertendum denique est illud, à quibusdam Sanctis verè traditum <sup>cc</sup>; Eum, qui sollicitus est in fratum suorum & proximorum peccatis impediendis , plurimum juvari, ut suarū minet noxarum veniam facilius impetrat. In hoc itaque omne nostrum studium versetur oportet, ut nec ipsi DEV M offendamus, nec aliis id faciat; huncque in fine in operum nostrorum meritum illi transcribamus. Excellentissima nempe occupatio est, hâc unâ perpetuò curâ distineri, ut omnes DEI impleant voluntatem, neque quisquam peccato quopiam eidem adversetur. <sup>dd</sup>

<sup>cc</sup> Proverb. 10, v. 12; Iacobi 5, v. 11<sup>o</sup>; Petri 4, v. 8. Vide Interpretes, & nominatim in postremum locum, A Lapide & doctissimum Lorinum, qui plures suggerit. <sup>dd</sup> Vide Alph. Rodrig. parte 3, tr. 1.

CA-

## CAPUT XXXIV.

*Ex Venialis Peccati gravitate cognosci potest, quantum malum sit, Peccato Mortali admisso, contra Divinam niti Voluntatem.*

**Q**uantum, quāmque fœdum & execrandum malum sit, voluntati divinae letali noxâ repugnare, ex eo quoque discetur, si, quantopere infinitam illam Majestatem veniale peccatum offendat, intelligamus. Quare differemus de illo eâ verborum rerūmque vi ac pondere, quod Sancti & Doctores, ipsum explicantes, ante nos adhibuerunt. Quia enim mortalis peccati gravitas ac magnitudo tanta est, ut eam intellectus noster non adæquet, neque plenè illud, quale in se est, pernoscat; danda opera erit, ut collatione cōparationēque peccati venialis factâ cum mortali, hujus turpitudinem melius penetremus: dum nimirum peccatum istud, quod parvum credebamus, magnum esse deprehendentes, inde

T

non

non difficulter colligemus; quod nos grā  
ve ducimus, illud sine dubio longè fore gra-  
vissimum. Peccatum veniale à mortali dif-  
fert, uti morbus à morte; atque si veniale  
tantum est, quantum credetur esse pecca-  
tum mortale? Si parvum, est magnum: ma-  
gnum ipsum ecquid erit? Sollicitudo verò  
& desiderium Deo serviendi, complectatur  
oportet propositum, illi nusquam, quātūm  
à nobis fieri potest, nec levissimā culpā, dis-  
plicendi; immo culpam plānē nullam decet  
contemnere, quasi minimam; quia immen-  
sa Majestas Dei, jūisque supremū, quo crea-  
turarum suarum omnium studia, conatus,  
obsequia, & officiosissimam servitutem si-  
bi vendicat, tanta sunt, ut, quidquid demū  
admittatur contra sanctissimam ipsius vo-  
luntatem ac beneplacitum, majus id ma-  
jus sit, quam qualemcumque malum aliud,  
quod esse potest. Vnde efficitur, peccatum  
unicum quod committitur, quantumvis  
veniale, pejus esse, quam damna omnia  
temporalia, & supplicia æterna; citius-  
que eligenda, æternūmque toleranda tor-  
menta acerbissima, quæ DEI Omnipo-  
tentia

tentia inferre potest, quām ut noxa, etiam minima omnium, contrahatur. Eāque propter magnopere dolendum est, adeò nos parūm laborare de venialibus culpis devitandis, quōd res leves exiguae momenti esse videantur; non reputando, iis, quantumcūmque in speciem levibus, DEV M Opt. Max. majorem in modum offendit. Neque verò leve dicitur peccatum veniale, nisi soli peccato mortali comparatum; cùm in seipso malum tantum sit, maior ut nullum reperiatur, præterquam peccatum mortale; malum omnino gravius, quām omnia mala cetera, tormenta, morbi, egestas, ignominia, & mors ipsa, vel si conjuncta reperirentur. Quocirca ut noxas qualescumque, tametsi minimas, toto animo horreamus ac detestemur, summam venialis peccati fœditatē, ejusque effectus, pœnas, & remedia, hoc loco breviter perstringemus. Sunt autem duo venialium peccatorū genera: alterum eorū, quæ per negligentiam, tepiditatē, atque, ut dici solet, ex subreptione cōmittuntur; à quibus nec justissimus quisque liber est: alterum eorum,

T 2

quæ

quæ ex malitia fiunt, planèque scienter; quæ posteriora, per DEI gratiam, vitari universa possunt, & verò omni cogitatione curâque debent, ea præsertim, quæ diuturnâ consuetudine velut in mores venerunt.

Satis est enim vero, ad venialis peccati detestationem, scire, infinito illud ac immenso Deo displicere, eumque irritare. Quippe malum cùm sit hujusmodi, quod Deum spectat ac lædit; gravius omnino malum est, quâm omne simul malum temporariorum & æternarum creaturarum; longeque item omnibus illarum, sive hujus, sive futuræ vitæ, bonis præponderat: in tantum, ut sicut potestas optione fieret, aut veniale peccatum (quale est verbum otiosum, mendaciūmve officiosum) committendi, aut omnia inferorum supplicia æternū perfendendi, omnib[us]que cæli deliciis & bonis carendi; secundūm rectæ rationis præscriptum, posterius eligere deberet. atque in hoc casu, unusquisque Sanctorum, maximā potiūs, quâ fruitur, gloriâ seipsum spoliatus, summâque cum alacritate in damnatorum rogum præcipitaturus, p[ro]quin in nihilum

## CAPUT XXXIV.

437

lum etiam antè se redigi passurus esset,  
quām hujus generis peccatum aliquod per-  
petraret. Quónam igitur pacto leve repu-  
tari potest id, quod usque adeò grave est?  
& qualiter malum hoc parvum judicetur,  
quod in maximū immortalēmque DEVM  
stolidē incurrit? Revera venialis noxa, hoc  
modo inspecta cōsideratāque, speciē quam-  
dam præfert mali infiniti: quamvis mortali  
comparata, levis venialisque nominetur.  
Atque hoc sensu S.Hieronymus negat scire  
se, *an possimus leve aliquod peccatum dicere,*  
*quod in DEI contemnum admittitur*<sup>a</sup>. Hæc ra-  
tio efficacissima est, ad veris & fidelibus  
DEI servis venialium peccatorum odium  
in generandum. Quid enim de eo filio dice-  
remus, qui hunc in modum loqueretur:  
Non ita equidem irritabo commovebóque  
parentem meum, ut me propterea domo  
excludat, aut è testamenti tabulis expungar:  
minores tamen offensas, ut animo meo ob-  
sequar, non devitabo. Hic talis profectò, fi-  
lli nomine indignus, mercenarius prodi-

T 3                   torque

<sup>a</sup> Hieronymus (aut S.Paulinus) epist.14 ad Celaptiam, cap.  
2, mihi pag. 42.

VIXX. TUTA  
438 VITÆ DIVINÆ

tórque merito suo appelleatur. Huic similes sunt, qui consultò darâque operâ in peccatâruunt venialia. De iis igitur quid sentendum, qui noxam admittunt mortalem? Quàm solo illius audito nomine, horrore nos incredibili percelli oporteret? Nemo cogitando assequi, nedum verbis exprimere; nemo satis aversari potest peccatum letale. Quamquam verò illud plenè integréque non cognoscimus, maximè tamen semper pertimescamus: quandoquidem veniale quoque tanto studio constat esse fugiendum.

Verùm etiam si daremus, DЕVM veniali noxâ nequaquam offendit; sufficeret utique, ad eam præ ipsa morte timendam, quod rationi adversetur, deformitásque sit & macula animæ: quæ quantò creaturis omnibus materiâ constantibus est nobilior, tantò ejus vel minimus nævus deformat amplius. Iungatur licet, quidquid uspiam turpe, fœdum, ac horrificum invenitur: omnis tamen isthæc deformitas, unicæ venialis noxæ fœditatem nulla ex parte adæquat. Quale, obsecro, monstrum sit,

ho-

Hominem videre, qui caput habeat aspidis,  
aut asini? In creaturâ rationis compote, ex-  
ecrabilius adhuc monstrum est, verbum a-  
liquod charitatem lædens, aut cogitatio o-  
tiosa.

Non macula solummodo, verùm mor-  
bus quoque animæ, peccatum est venia-  
le, quâvis corporis invaletudine hòc  
molestior ac perniciosior, quò incor-  
poreum corporeo (quæ duo nihil ha-  
bent commune) præstare scimus & an-  
tecedere. Etenim si morbi omnes, ab  
ullis umquam aut Medicis cogniti, aut æ-  
gris tolerati, in unum conflentur, non  
dum æquales erunt minimo peccato ve-  
niali. Quis unus par sit calculi, dentium,  
ischiadis, podagræ, & cancri acerbissimis  
doloribus tolerandis? Quale, & quām  
miserabile spectaculum de se præbeat,  
quemcumque tot simul incommodis  
contigerit conflictari? Atqui existimam-  
dum est, intolerabilius malum mife-  
riamque majorem, unicum solūm esse  
peccatum, quod veniale appellamus.  
**Quæ** igitur phrenesis est, neglectis venia-  
libus,

libus, sola mortalia crimina æstimare? Quare minoris fit anima, quam corpus? Et enī si ad hujus non modò vitam attendimus, sed valetudinem præterea, incolumentem & decorem: cur non perinde animæ salutem, ejusque pulcritudinem spectemus?

Peccatum veniale deinde, ut loquuntur Sancti Augustinus<sup>b</sup>, & Magnus Gregorius<sup>c</sup>, nostrum decus exterminant, & animam inquinant, eamque velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie repletia, deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius Sponsi<sup>b</sup> celestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Quod si igitur vestem sœdari, eam ve madefieri, impatienter accipimus: conscientiæ puritatem munditiémque quam obrem, quæso, contemnimus? Insignis sanè stultitia est, vestem, ex animalium pellibus, vermiūmve excrementis confectam, diligenter quam spiritum animamque nostram, ad Dei imaginem conditam, curare. Quid de Reginâ sentiremus, quæ splendi-

<sup>b</sup> in Sermonibus de Sanctis serm. 41, mihi pag. 422; & lib. 10 homiliar, homil. 50, cap. 3, pag. 205. <sup>c</sup> Vide illum exposit. moral. in Job lib. 10, cap. 13; lib. 14, cap. 10; & lib. 21, cap. 9.

diffimâ induita purpurâ, in sordibus ac luto  
primùm volutaretur, tûmque rectâ ad  
Sponsum & Regem suum amplectendum  
progrederetur? Multò verò magis rationi  
adversatur, animam Christi Sponsam, non  
dubitare veniale peccatum contrahere.  
Quid jam porrò (dicendum hoc sèpius) &  
qualis erit culpa mortalis, si talis est venia-  
lis? Quantum nudo illius auditio nomine,  
trepidare cónvenit & exhorrescere; cùm  
mortale peccatum veniali, malitiâ suâ, infi-  
nitis partibus antecellat?

Accedit, quod hæc tanta venialis culpæ  
fœditas, malum, morbúsque & horror tam  
pestilens, pessimos necessariò effectus pro-  
ducat, ob quos meritissimò eamdem dete-  
stemur. Consideremus illos solùm, quos  
ideo profert, quia morbus est, infinite haud  
dubie periculosior, quâm sint difficillimi  
qui que corporis morbi; etiamsi non diuiso  
dolore, non per partes, non per intervallum  
suspenso, sed semel, sed pariter omnes u-  
num cumdémque hominem invassissent.  
Nam peccatum veniale, Cancer est animæ,  
fensi sine sensu virtutem depascens at-

T s que

que debilitans , usque dum eamdem perimatis, faciendo, ut in letalem culpam misera delabatur. Lepra est, animam defœdans, illamque ab osculo & amplexibus Sponsi cœlestis avertens. Paralysis est, motum omnem pium, ad virtutum opera exercenda, impe- diens. Hydropisis est, terrenarum rerum simum ac desideria accédens. Cardialgia est, af- fectus turbans. Podagra est, quæ in via per- fectionis progredi vetat . Asthma est, quod ad cælum aspirare non sinit. Surdi- tas est, divinas inspirationes audire prohi- bens. Cœcitas est, quæ veritates æternas intueri non permittit. Phthisis est ac tabes, virtutem omnem enervans penitusque ex- tingueens. Denique, sicuti corporalis infi- mitas, mortis est prodromus ; hōcque u- num omnino pessimum habet , & quod præcipuam curam ac sollicitudinem creare debeat: (si enim certi essemus, nos minimè morituros; morbum, quantumvis gravem, non adeò metueremus) ita in veniali pecca- to deterius nihil diligentiusque cavendum affirmo , quām quodd animam ad mortem, hoc est, mortale peccatum præparet ac dis- ponat.

Tri-

Tribus ferè modis docet Angelicus Doctor<sup>d</sup>, peccatum veniale viam munire, anamque disponere ad peccatum mortale. *Primo* ex se & naturâ suâ; uti calor modicus ad majorem. sic murmuratio, furtumve exiguum, aditum aperit majoribus. differunt itaque, ex mente ipsius, sicut imperfectum & perfectum; sicut puer aliquis à viro, qui ex puerō in virum crevit, & sicut leo magnus & tigris, à leone ac tigride minoribus.

*Secundū*, Facit hoc, ut Vir sanctissimus loquitur, per quandam consequentiam, ex uno in aliud deducendo; ut recta sit ista argumentatio: Hic homo non cessat multiplicare peccata venialia; ergo progredietur etiam ad mortalia, est infidelis in modico; ergo in magno quoq; talis erit. nō aestimat res parvas; ergo nec maiores aestimabit, juxta id quod dicit Ecclesiasticus: *Qui spernit modicas, pauperrim decidet*. Augmentat à enim dispositione

T 6

vel

<sup>a</sup> S. Thomas 1.2, q. 88, & alibi; que bene explicant Nigronius

<sup>b</sup> Tr. de Cura minimorum, parte quartâ; & Lancicius,

<sup>c</sup> in Opusculo de indic. & gradibus profectus. e Eccl. 19,

<sup>d</sup> vers. 1.

vel habitu, ait idem Sanctus Thomas, per actus peccatorum venialium; in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille qui peccat, sinem suum constituet in peccato veniali<sup>t</sup>, adeoque peccabit mortaliter: propterea quod facillimè ea homo faciat, ad quæ ex habitu & consuetudine inclinatur.

**Tertio**, Peccatum veniale disponit ad mortale; quia removet ea, quæ lapsum in illud impediunt: qualia sunt hæc tria. **Primo**, Obedientia ac subjectio Deo præstata, ejusque sanctus timor; quem libertas nimia, & audacia venialiter peccandi pessumdat. nam qui ita sunt comparati, ut scientes prudentes divinam Majestatem offendant in rebus parvis, ii paulatim idem in majoribus audebunt. **Secundo**, Habitus boni; qui contrariis venialium peccatorum actibus ita debilitantur imminuunturque, ut sensim proslis evanescant; usu cuncta levigante, inquit S. Gregorius<sup>b</sup>, hoc est, consuetudine facilem, ac pronam animam reddente ad peccandum. **Tertio**, Auxilia gratiæ specialia:

<sup>a</sup> Vlco citato, art. 3. g art. 2. Vide Cajetanum ibidem & Nic. gron. l c. cap. 4. h lib. 10 moral. mhi cap. 14.

quæ demeretur homo peccatis venialibus,  
liberè & consultò admissis ; illaque Deus  
justissimè paulatim ei subtrahit, qui tam il-  
liberaliter cum summâ agit Majestate. Qua-  
re si peccatum veniale tot medis verè fene-  
stram patéfacit ac disponit ad peccatum  
mortale; necessarium est, ut quisquis hoc ti-  
met, illud similiter timeat. quod qui non  
facit, hoc est , qui non timet peccatum ve-  
niale, is satis indicat, se nec mortale timere:  
eo quod, ut Magnus Aquinas ait, multoties  
peccando venialiter , disponetur ad mortale; i &  
quia multa peccata venialia dispositivè caussant  
mortale<sup>k</sup>: eo nimurum, quo dictum est, mo-  
do animam ad illud præparando.

Considerentur hic mihi duo velim , qui  
omnia caveant peccata mortalia; quorum  
tamen alter multa committat venialia, alter  
éadem , quantum potest , studiosissimè fu-  
giat. Ex iis posterior exemplum erit inno-  
centiæ virtutisque omnis , devotus, obse-  
quens, solatium & columna Congregatio-  
nis ac Religionis suæ; Sanctisque audiet, &  
dignus, qui in Divorum album, etiam vi-

vus referatur: at in priore illo, qui idemt̄ dem impingit, peccāt̄que venialiter, alia & contraria omnia reperientur. Ecquam remur hujus ranti discriminis caussam esse? aliud nihil, præterquam peccata venialia. horum itaque damna, in vitâ spirituali, gravissima habeantur oportet. Et verò si tales sunt fructus noxæ venialis; quales demum mortalis peccati effectus futuros existimamus? Quantum vel solum ejus nomen, tñ morem nobis debet injicere? cùm hoc mortem afferat animæ, non similiter delictum veniale.

Supplicia adhæc & pœnæ, quibus veniales Dei noxas castigavit; abunde probant, quām vehementer eadem ipsi displiceant. Quod ut clariū intelligatur, illud tamquam certum statuendum est: justissimum esse Deum, qui peccatum non suprà quām mereatur puniat; eumdemque simul esse sapientissimum, ut in illius cognitione errare nequeat. Quānam itaque modo existimare quis potest, peccatum veniale rem parvam esse, cùm capitali in illud supplicio animad-

ver-

vertat Optimus Sapientissimusque Deus.  
Nam si verum est<sup>a</sup>, quod grayissimi asse-  
rūt Auctores, Moysen & Aaronem, in pera-  
cutiendā petrā, ad aquas contradictionis,  
non nihil hæsitantes<sup>b</sup>; itēmque Lothi uxo-  
rem, quæ muliebri curiositate victa, cōver-  
tit se retro, ut triste Sodoma bustum & cul-  
trices flamas tantisper oculis usurpare<sup>c</sup>,  
cām statim *versa est in statuam satis*<sup>m</sup>  
si verum, inquam, est, eos peccāsse dūmita-  
xat venialiter<sup>n</sup>; quis non obstupescat, De-  
us nihilo-minus subita morte in eos vindicā-  
cāsse? Prophetam alium, ob veniale item  
peccatum<sup>o</sup>, leoni lacerandum occiden-  
dūmitque permisit idem Deus p. In Vitis Pa-  
ttulūt intentio etiam fit de Sancto quodam  
Anachoreta, ob levem similiter culpam, ab  
alia fera discerpto. q

Neque morte solūm, sed morbis quoque,  
morte

<sup>a</sup> Num. 20, v. 12; 27, v. 13; & Deut. 32, v. 48 & seqq. m Genes. 19, v. 26. <sup>b</sup> De Moysē ajunt hoc Augustinus & plerique DD. apud Tirinum in Comment. ad Numer. cap. 12. de Lothide vero vide eundem Tirinum in caput cit. & Salian. a. m. 2138. o ita S. Augustinus, Gregorius, Abulensis, San-  
ctius & plurimi alii. p. 3 Reg. 13, v. 26. q Vide Auctorem  
de adorat. in spiritu & verit. lib. 2, cap. 13.

morte ipsâ gravioribus , minora peccata  
 Deus castigavit. S. Chrysostomus Lazarum  
 fame & ulceribus , quibus operiebatur à  
 plantâ pedis ad usque verticem capitis , ob  
 veniales noxas divexatum fuisse censet .  
 Cassianus de Abbe Paullo testatur, ipsum  
 propter levem culpam , tali confessim corre-  
 ptione percussum esse , ut ejus universum corpus  
 paralyeos valetudine solveretur, nullumque in eo  
 membrum penitus explere suum prævaleret offi-  
 cium . S. Geraldus Comes, (uti memorat O-  
 do Cluniacensis) ob exiguam noxiam, cæ-  
 citate ad tempus punitus fuit. S. Elzeari-  
 um item Comitem, quod nescio cuius cul-  
 pæ periculum adiisset ; Christus per totum  
 Psalmi quinquagesimi decursum , flagellis  
 cecidit . quodque magis nos terreat, Moy-  
 ses Abbas , ob reprehensionem unius sermonis,  
 quem disputans paullò durius protulit , quadam  
 scilicet opinione præventus, diro confessim est tra-  
 ditus Dæmoni . Hoc ipsum supplicium alteri  
 cui-

<sup>r</sup> Luc. 16, v. 20. <sup>s</sup> S. Chrysost. conc. 3 de Lazaro, mihi pag. 1345.  
<sup>t</sup> Cassian, Collat. 7, cap. 26, mihi pag. 453. <sup>u</sup> lib. 1 vita S. Geraldii  
 cap. 10, apud Nigronium tr. cit. <sup>x</sup> Fasti Mariani in vita El-  
 zearii 27 Septembri, ex vita apud Surium, cap. 31. <sup>y</sup> Cass Col-  
 lat. 7, c. 27, pag. 455, in edit. 3 Gazai, qui plura talia habet.

cuidam sanctissimo Monacho irrogatum fuit; uti refert Severus Sulpitius<sup>z.</sup> certumque est ac exploratum, longè præstare, ut omnes ex Orco Dæmones corpus insideant, quām ut vel unico veniali peccato anima occupetur. O hebetes nos, qui ista tam parūm capimus! O fatuos, siquidem capimus, nec leviores tamen noxas ex animo detestamur! sed pergo.

Castigat insuper Deus peccata venialia in vita præsente, permittendo tentationes, quæ mirè affligunt hominem, cruciantque inquietudine & stimulis conscientiæ molestissimis, desolationibus, tenebris, ariditate, pusillanimitate, separatione ab ipso Deo, ejusque præsentia & familiaritate, tum orationis tempore, tum extra illud. Denique, qui ex proposito venialia peccata committit; neque pacem, neque tranquilitatem, neque gloriam & testimonium bonaæ conscientiæ ullatenus persentiscit. Suntne hæc exigua fortasse incommoda, levæque poenæ? Sancta quædam anima, & mul-

tis

<sup>z.</sup> in Dialogo 1, qui est de virtutibus Monachorum Orientalium, cap. 14, mibi pag. 362.

tis à D<sup>E</sup>O favoribus illustrationib<sup>s</sup>que dignata, confessa est, D<sup>E</sup>V<sup>M</sup> præsentiam sibi suam anno integro substraxisse; negabatque levem eam noxam esse, quæ annuâ D<sup>E</sup>I absentiâ multaretur<sup>aa</sup>. Fuit et alius, à quo, ob vanam quamdam interiorem complacentiam, continuâ quinque annorum ariditate, pœnas idem expetivit<sup>bb</sup>, Maxima verò D<sup>E</sup>I, peccata ista offensaque leves vindicantis, pœna, ac ceterarum radix & origo est, quod propter eas suis nos privet destituátque auxiliis; tantum jure optimo de ope suâ remittendo, quantum nos in amore ipsius, cultuque ac reverentiâ languemus & torpescimus. Hæc si veniale peccatum efficiat; quid non faciet mortale? quantopere solâ nos istud appellatione suâ debet perterrefacere?

Post hanc verò vitam, multò se D<sup>E</sup>V<sup>S</sup> exhibit severiorem, nec minimæ tunc culpæ gratiam faciendo. Regem aliquem,

<sup>aa</sup> Vide Roderic. parte 1, rr. 8, cap. 24, & seqq. <sup>bb</sup> Vide quæ de venialium peccatorum damnis differit Ias. Alvar. de Paz. T<sup>o</sup>. 2, lib. 1, part. 3, cap. 10 & seqq.

cum Quæstore suo ærarii ve Præfecto rationes ponentem , non condonare summam mille, aut centum etiam, Ducatorum; id verò justum est : at nummulum quoque unicum & denariolum , eundem exigere ; duri sanè exactoris esse videtur. Quis umquam inaudiit Principem à Cubiculario suo vestiariique Curatore, rationes de fractâ acu flagitare & accipere ? fit tamen hoc ipsum in re de qua agimus. Iurisconsultorum dictum est : *Modicum non curat Prætor,*<sup>cc</sup>; attamen DEVS, Prætor & Iudex æquissimus , verbum quoque otisum minimè negligit , quin ad examen hoc ac tribunal vocet. Summam èt illud parit admirationem ; ne dilectissimo quidem Filio , ob venialia hominum peccata, pepercisse DEVUM, neque ex iis ullum dissimulasse ; sed de singulis rationem poposcisse , proque iis in Crucis , ut sic dicam, mensâ , ab eodem sibi satisfieri voluisse.

Gravis itaque res, in divinæ Majestatis oculis, peccatum est veniale; summâque profectò circa illud severitas elucet ac justitia

<sup>cc</sup> Vide l. Scio, ff. de in integrum refit.

divina: adeò, ut mirandum non sit, habere  
**DEVM** in vita altera carcerem horribilem,  
ad veniales noxas acerrimè castigandas; in  
quo dicit S. Augustinus <sup>dd</sup>, inibi attentos *af-*  
*fligi miris*, sed *tamen veris modis*. quâ de re  
multa extant indicia, & fide dignæ revela-  
tiones <sup>ee</sup>. Pœna sensus istic culpæ respon-  
det, moræque temporis, quo in illâ hæsi-  
mus. Ad hanc pœnam pertinet, quod dicit  
Apostolus Paullus, peccata venialia esse  
*ligna, fœnum, stipulam* <sup>ff</sup>: quia atsura sunt  
tamquam fœnum quod exaruit. ideoque  
venialiter peccare, aliud non est, quam ari-  
da ligna colligere, quibus ignis, quo ali-  
quando excruciaaberis, major fiat. Quæ lu-  
culentior esse queat, manifestiorque insa-  
nia? Huc facit doctrina Sancti Thomæ, quæ  
recepta est in scholis Theologorum, pœ-  
nam sensus, ob multa venialia peccata infli-  
ctam, æquare posse pœnam ignis, propter  
unum mortale peccatum preferendam;

<sup>dd lib. 21 de Civit. cap. 10, mihi pag. 632. ee De his fuscis Mar-</sup>  
*timus de Roa, Alexius de Salo, P Indocus Andries in Turgatorio hoc ipso anno hic Monasterii edito.* <sup>ff 1 Cor. 3, v. 12. Vi-</sup>  
*de Interpretes; Bellarminum de Turgatorio; Iac. Alvarez b. c; S. Thomam l. 2, q. 87, art. 2, & ejus Commentatores.*

perinde, uti pœna peccati venialis, in Inferno æterna est gg, Reperitur item in Purgatorio pœna damni, quantumvis temporalis: cùm suâ culpâ omnes, qui illic degunt, toto eo tempore, adspectu Dei priventur: quod maximè illis dolet, ob vehementissimam propensionem animæ, filiæ & sponsæ Dei, suo se centro, ultimoque fini unire gestientis. Auget hanc pœnam, temporis, quo ea duratura est, incertitudo. Ex quo venialium peccatorum gravitatem licet aestimare: quorum vel unicum, ingressum in cælum morari potest, adeoque vehementem animæ inclinationem retardare. Tam exacta est divinæ justitiæ regula, & censura tam stricta, ut filios amicosque sibi carissimos, qui mundum inferosque triumpharunt, in suam tamen civitatem aulamque, nisi plenè expiatos, non admittat; idque eas ob res, quas, per summam imperitiam, leves tu nominas. Amor amati vitia tegere solet; triumphique ac gloriosæ victoriæ, quantumvis magnam incuriam defectusque aboleret:

gg S.Thomas 1.2,q.87,a.5, & Theologi ibi. Videri potest  
Vasquez T.4.1,in 1.2,disp.141, q.146, cap.3.

olere: at divinæ rigor justitiæ , & zelus ho-  
noris sui, peccatis hisce , quantumcumque  
venialibus, non mediocriter labefactati, o-  
mnibus istis longè præponderat. & hæc i-  
psissima est ratio, cur sanctissimos quoque  
homines, in illo animorum expiatorio car-  
cere, acerbissimis Dei suppliciis castigârit.  
S. Severinus certè , qui inibi attinebatur,  
quòd horarias preces non per distincta hora-  
rum spatia , sed ob negotiorum multitu-  
dinem, manè simul recitâset; (notent  
hoc Clerici) ignis ardore intolerabili ve-  
luit diffuebat <sup>hh.</sup> Hugo de Sancto Victo-  
re, à morte Sacerdoti cuidam apparuit,  
& Quia dum viverem , inquit, accipere renui  
disciplinam; vix ullus Dæmonum in Inferno re-  
mansit, qui non mihi ictum validum dederit;  
ad Purgatorium transiunt <sup>ii.</sup> S. Vincentius  
Ferrerius testatur , fuisse quempiam da-

<sup>hh.</sup> B. Petr. Damiani lib. 2. epist. 15. mihi pag. 112.

Cave tamen putas fuisse hunc antiquum illum Ubiorum  
Antifititem; id enim manifestò falsum. Vide Baronium an.  
1062 , qui Piligrinum , Coloneensis Ecclesie Antifit-  
tem rectius substituit, non ita pridem vitâ functum, cum  
ista scriberentur. ii Cantiprat. lib. 2. Apum , cap. 16,

S. f.

innatum ad Purgatorium anno solidi; propter unicam venialem noxiam<sup>kk</sup>: quæ haud dubiè notabiles aliquas circumstantias & adjuncta habuerit. Heroldus ex religiosissima S. Dominici familia, & Bartholomæus Valperga Carthusianus, de Cœnobita quodam memorant, eum ob suam in pœnitentiis explendis negligētiam, Purgatorio ad supremi usque judicij dicem adjudicatum fuisse<sup>ll</sup>. Talis fortasse fuerit hujus societatis, tanta peccatorum multitudo, ea pœnarum expiaticium ratio ac modus, & tam exigua pro mortalibus, jam condonatis, delictis satisfactio, ut diuturnā hanc castigationem mereri potuerit: maximè cùm supplicia, prò iis sustinēda, opinione nostrâ longè sint diuturniora<sup>mm</sup>. Duranus etiam, Episcopus Tholosanus, quia jocis facetūsq; vivus nimium indulserat, post obitum, tumete ac obsito pustulis ore videndū se præbuit.

kk Quām severē leves in speciem noxa in Purgatorio expensur, pluribus historiis illustrat R. P. F. Alexius de Salo Capuccinus, in Triumpho Animarum parte 2, cap. 2, 17, 18, 19 & 20. ll Vide eundem ibid. cap. ult. min Eminentissimum Bellarminum vide de Gemitu Columba lib. 2, cap. 9; & R. P. Ind. Andries Tr. 2, stim. 3; Animarumque serio miserere.

buit <sup>nn.</sup> Quòd si veniale peccatum (studio hanc illationem toties repetivi) eo modo plectatur; mortali quid fier? quam nomen ipsius jure ac meritò reformidemus?

His aliisque de causis venialia peccata sunt extimescenda: quæ si crebra sint, guttis aquæ comparantur. Hæ, et si minimæ, multæ nihilo. secius diluvium faciunt, navimque mergunt: item si continuæ sint. nam

*Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?*

*Dura tamen molli saxa cavantur aqua.* <sup>oo</sup>

Sicut nemo momento uno perficitur: ita nec repente quisquam pessimus evadit. Morbus non ingravescit ex tempore; neque domus semel impulsa, statim corruit. Extimescenda èadem peccata propterea quoque; quia minora reputantur: neque enim hostis parvus est, qui contemnitur. Mirabile quiddam & inauditum dicere audeo, ait S. Chrysostomus. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna peccata videri evitanda, quanto parva & vilia. illa enim ut auersemur,  
ipsa

<sup>nn</sup> Sur. 29. Apr. in vita S. Hugonis Cluniacensis: & Vinc. Belvac. lib. 26 Spec. hist. cap. 5, apud Nigran. l.c. <sup>oo</sup> Ovid. lib. 2 de arte.

ipsa peccati natura efficit; hæc autem, hac ipsa  
re, quia parva sunt, desides reddunt: & dum  
contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum  
animus generosè insurgere, unde citò ex parvis  
maxima fiunt negligentia nostrâ. pp

Adversus mala tam multiplicita, omnis  
generis remedia sunt adhibenda. Maximo-  
pere verò, ad veniales noxas vitandas, pro-  
derunt quæ subjungo. Primi, Examen con-  
scientiæ, dispiciendo quotidie, ubi lapsi si-  
mus; & sollicitè, in omnibus actionibus no-  
stris, progredi statuendo. Secundi, Cum sin-  
gulari reverentia ad sacram synaxin accede-  
re: quia divinissimum hoc Sacramentum,  
dignè suscepimus, cor purificat, virtutēsque  
corroborat. Tertiò, Externorum quinque  
sensuum, qui sunt totidem animi fenestræ,  
sedulam curam gerere, ad eorumque custo-  
diam perpetuò advigilare. Quartò, Affectu-  
um cordis sui accurataim pariter habere ra-  
tionem: illos ita reprimendo, ne quis ali-  
quando erumpat; & numquam indomitis  
animi cupiditatibus, sed rationi ubique ob-

V

secun-

pp S. Chrysost. hom. 87 in Matth. idem ait S. Gregor. 3 pars  
Pastoral. admonit. 34, mibi pag. 18.

secundando. *Quinto*, Mortificatio. Quoniam si quis doctus sit , gustui suo non obsequi in rebus licitis ; non facilè in illicitis eidem morem geret. *Sexto*, Imitatio Christi : qui speculum est, & prototypum omnis innocentiae. *Septimo*, Studere ferventer progredi , & aspirare semper ad id, quod est perfectius. *Octavo*, Amor DEI:quia magnus illius amor , minutissimas etiam offensas prorsus excludit. atque hæc omnia oratione alenda erunt ac agenda. *qq*

Quæ licet ita se, ut dixi, habeant; nemo tamen propter venialia peccata admissa immodicè tristetur; sed humiliet se , eaque serio conetur emendare : illa potissimum, quorum pessimam consuetudinem jam duxit animus. verum faciat hoc ipsum corde ampio, & insigni quadam fiduciâ dilatato : Deus quippe misericordissimus est, nosque diligit instar patris, in filiis suis multa, non usquequaque perfecta , benignè dissimulantis. Diligentes esse nos oportet, sed non anxious. diligentia enim peccatis mede-

*qq Ubiq[ue] de venialium peccatorum remediis differit R. P.  
Julius Nigrinus Tract. cit. de Cura ministrorum.*

medebitur; at anxietas, ipsa etiam bona opera turbare poterit, aut impedire. Monitū istud, locum præcipue habet in peccatis venialibus, ex malitiā planēque consideratē admissis. nam quæ ex imbecillitate nostra & subreptione perpetrantur, minùs nocent: neque quisquam sibi persuadeat, ea à se omnia evitari posse.

## CAPVT XXXV.

*Quomodo Perfectionis, & Divini  
beneplaciti adimpletionis, Impedimen-  
ta amolienda sint; cum aliquot ad hoc  
necessariis Regulis, ac Documentis.*

**V**T quis in itinere cœpto prosperè felicitérque progrediatur, haudquaquam sufficit, expeditè posse incedere: sed necessarium præterea est, ut iter non sit lutosum, non paludosum, non latrociniis infestum; quia certeroquin viatorem remorabitur. In via spirituali, multa quoque ejusmodi occurruunt obstacula, nobis declinanda. **Quisquis** etenim serio ad sanctitatem

aspirat , hunc non peccata modò evitare; verùm perfectionis quoque impedimenta removere oportet. Quare ad hæc pericula evadenda, Monita hoc loco aliquot & Documenta proponam : quæ studiosè observata , remoras multas tollent, multas vafri Dæmonis pedicas insidiásque detegent , à multis tentationibus, immo & peccatis, liberabunt. Non commemorabo nota jam usitatáque remedia , apta imprimis quibúsvis sanctioris vitæ impedimentis tollendis: (qualia sunt, Mundum deserere , Paupertatem spontaneam Castitatemque collere , & Voluntatem propriam in DEI jus arbitriūmque integerrimè dédere ) sed alia quædam suggeram, valitura adversus ea obstacula, quæ & minùs advertuntur, & remanent tamen etiam postquam mundum quis valere jussit, animamque suam Deo dedicavit: eò quod Diabolus numquam ferietur, & boni specie nos fallere , profectuique nostro vehementer obstare soleat. cui rei, atque ad dolos ipsius cavendos, sequentes Regulæ permultūm sunt profuturæ.

*Prima. Id semper sollicitè à nobis curandum*

dum est, ut non tantum peccatum, verum quidquid aliud progressui nostro officere videtur, aboleamus; inquirendo per otium, quænam tandem illa sint, quæ nos retardant: & considerando id, quod de parvo admodum pisciculo (Echenëidem, sive Rémoram appellant) narratur; qui (ut Plinius loquitur) ruant venti licet, & senviant procellæ, imperat furori, virésque tantas compescit, & cogit stare *navigia*<sup>a</sup>. Hac una potissimum re perfectionis studiosos ab aliis, & à seculari- bus viros Religiosos differre cónvenit; quòd isti non de peccatis dumtaxat, sed de omnibus etiam perfectionis consequendæ obstatulis, removendis laborent.

*Secunda.* Contendendum, ut perpetuò progrediamur; nihil, quantumvis exiguum, remissè lentèque agendo: quia à minoribus ad majora gradus fit; neque malus Dæmon aliud quàm digitum unum petit, ut deinde brachium tollat, totumque corpus sui juris faciat. Sincerus Dei servus, has similesque voces, *Quid tum postea? quid istud interest? quid in eo vertitur?* modis omnibus abominetur.

V 3

Nam

<sup>a</sup> *Tlin. lib. 32, cap. 1; & lib. 9, cap. 25.*

Nam qui Domino famulatur majestatis immensæ, pelago infinito essentiae, bonitatis ac beatitudinis, omne esse & omne bonum in se concludenti, quique gloriam exspectat sempiternam; huic parum, planè multum est, magnisque momenti. Dicitur quidem saepius: *quid istuc intereat?* sed interest profectò plurimum, vertiturque in eo sanctitas nostra. Atque hoc iterum discrimine Sancti ab aliis, qui sine magno progressu virtutem colunt, distinguuntur: quod ha minora negligant; illis vero nihil modicum sit, at summa omnia: quod ipsum specimen est perfectionis insignis.

*Tertia.* Ex nullius exemplo sumatus occasio commoditatis alicujus & laxamenti, quantumcumque is sanctus sit: quia fieri potest, ut alter eâ recreatione omnino indigeat; ego vero minimè. Quo loco illud studiosè est advertendum, Exempla non personis, sed rebus ipsis metienda esse. Si de certæ alicujus virtutis aut fervoris actibus sermo sit, nihil prohibet etiam à latrone & prædone exemplum capere. at si minorēm zelum, majorēmque libertatem

præ-

præferat id quod agitur; tum verò nec Angelum è cælo, nec Christi Apostolum aliquem ulla tenus tibi noveris imitandum. Quin immo de ipsis Christi operibus, quæ supremam perfectionem non ita clarè demonstrabant, & in quibus naturæ se nostræ imbecillitati ipse accommodabat, negant Sancti, ideo ipsum illa fecisse, ut nos similia faceremus: quantò minùs itaque aliorum hominum, oblectationi gustuique suo indulgentium, actiones imitari licebit? Hoc monitum majoris est momenti, quām primâ fronte appareat; quamvis vel sic videatur esse non parvi: quia per istud ostium innumerabiles, admodumque perniciosa relaxations introductæ sunt, amore nostro proprio, ab hujus vel istius hominis spiritualis, hoc illud vœ facientis, exemplo eadem sibi quoque libenter arrogate. Non est hæc bona regula. Nam etsi concedamus, omnes qui in mundo sunt Sanctos id fecisse; si tamen est quidpiam minùs perfectum, nullo illud pacto nobis imitandū venit. excipe, nisi alia causa subest, aut particularis aliqua evidensque necessitas: quo casu desinit esse imperfectum.

*Quarta.* Magna verborum habenda est ratio: non solum cavendo , ne quidquam loquamur, nisi admodum necessarium; quia alioqui spiritum ac devotionem omnem per os efflamus: verum æquè curando , ut nec tale quid audiamus. Incredibile dictu est, quantam Dæmon hac in parte cladem inferat dictis aliquot, & axiomatis ex Orco allatis, bonique speciem mentientibus; vel repidorum, vel frequenter eorum etiam, qui spirituales vocantur, ore prolati. Proderit eamdem hic Regulam adhibere, quam de exemplo paullò antè afferebam. Quippe si verba illorum ad laxitatem, aut commoditatem aliquam , imitationi & mortificationi Servatoris nostri IESV Christi minimè conformem, nos trahant; nullo ea pacto, audienda sunt, etiam si à Seraphino aliquo pronuntiarentur, longèque minùs fides. Iisdem erit adhibenda. Quantum igitur exemplum & verba attinet, illud solum attendi debet, Num majoris res zeli sit atque perfectionis; non autem , quis quid fecerit, dixeritve, quantumcumque religiosus ille sanctusque esse videatur.

*Quin-*

*Quinta.* Ex hoc sequitur, Ne minem alienis dictis duci regique oportere; sed vivendum ex rationis præscripto & Evangelii: cuius reconditam sapientiam pauci intelligunt, in opus deducunt omnino paucissimi. Attentè cogitetur, (id quod sæpius innuit Scriptura sacra<sup>b</sup>) Sapientiam DEI à mundo pro stultitiâ reputari; & vicissim sapientiam hujus mundi, stultitiam esse apud DEVUM<sup>c</sup>, errorēisque ac fœdam ignorantiam,

*Sexta.* Certissima porrò omnium actionum nostrarum amissis ac regula sit oportet, Vita & Mors D.N.IESV Christi. In ea itaque figantur oculi animisque noster, quæ animam, DEI Filio similiorem efficiant; ut sunt demissio, contemptus, paupertas, nuditas, mortificatio, multarumque rerum incommoditas: atque hoc judicium, cum nullo errandi periculo erit conjunctum. Servet quis descriptam in animo suo doctrinam Servatoris sui, illâ se oblectet, illam gustet; repetatque secum sententias aliquas & verba, quibus præcipue imitationem

V 5

Cru-

<sup>b</sup> Vide 1 Corinθ. Caput I. c 1 Cor. 3, v. 19.

Crucemque suam nobis ipse commendat.  
quamvis enim hæc talia corticem habeant  
aliquantò amariorem; summam tamen  
includunt dulcedinem atque suavitatem:  
quam soli illi, qui eorumdem veritatem ex-  
periendo probant, percipere consueve-  
runt. Hujus generis sunt illa: *Siquis vult post  
me venire, abneget semet-ipsum, & tollat Cru-  
cem suam quotidie, & sequatur me d.* & ista:  
*Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, &  
matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & soro-  
res; adhuc autem èt animam suam, non potest  
meus esse discipulus.* e

*Septima.* Fugiat homo voluptates, hono-  
res ac respectus seculares; solas licitas, ne-  
cessarias, & ab Obedientiâ permissas recre-  
ationes, oblectationesque admittendo: sic  
tamen, ut antè cogitet, quomodo in iis se  
gerere, quidve loqui debeat; dando operâ,  
ut res utiles sint & divinæ. Neque enim ve-  
rum DEI servum aliud, quam cum DEO, aut  
de DEO, aut propter DEVUM, loqui condecet.  
Magnopere idem caveat, ne præter modum  
in varia distrahatur, totumque se ad res exte-  
rio-

d *Lucæ 9, v. 23,* e *Lucæ 14, v. 26.*

riores effundat : quia facillimè extra se erumpit exitque anima; admodum autē difficulter ad se deinde sic dispersa revertitur.

*Oc̄tava.* Honorem, qui nobis aut re ipsâ, aut hominum sermonibus tribuetur, estimabimus ut rem multò absurdissimam, rationique præ quam alia in mundo ulla, planè repugnante; non aliter, atquè si Dæmonem ipsum laudari audiremus: gloriam universam in DEVM referendo, nō que omni contemptu, millēque opprobriis dignissimos reputando, atque ex Sancti Vincentii Ferrerii doctrinâ, sequentem in modum de nobis ipsis existimando: *Quā* vult, inquit ille, fugere atque evadere laqueos atque tentationes Diaboli, sentiat de se- ipso, sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus, & male olenti; & sicut de uno cadavere, quod deditgnatus videre & intueri, immo super quod claudit nares, propter ejus pessimum odorem & fætorem; & à quo avertit faciem, ut non videat talem & tantam abominationem<sup>f</sup>. Hac se ratione considerare quis debet, hisque oculis intueri in hominum Angelorumque conspectu:

V 6

quan-

<sup>f</sup> S. Vincent. Tr. de vita spirituali cap. 15.

quandoquidem peccata, etiam venialia, horrorem, fætorem, nauseamque longè intolerabiliorem creant, quām quæcumque demum res alia. Quare displiceat sibi homo perpetuò, reprehēdātque ipse se bona quoque opera facientem; ac erubescat, quod non rectè, admodumque imperfectè, & exiguo cum fervore, éadem exsequatur. Ita fiet, ut quām longissimè absit à modo quodam loquendi, prætextūque hominum imperfectorum: qui cùm hīc & ibi de honore suo agi dicunt; verum, hoc est, DEI honorem conculcant, consiliorum, vitæque Redemptoris sui obliti prorsus atque immemores.

*Nona.* Non pluris faciat mundum, quām mundus Christum fecerit; adeoque non aestimet illum nisi pro stulto. Nihil deinde, quod ad DEI spectet obsequium, propter facta hominum judicia, censurásque ineptillas agere prætermittat. Primum omnium, quod Deo servire desiderans contemnere deberat atque proterrere, pudor est ineptus, & (planè hoc dicendum) respectus humanus. ridendus igitur est mundus uni-

ver-

versus, stultaque ejus sapientia, & dicta falacia; illud in primis, quod numquam non in ore habet: *Quid dicent homines?* Immensum quippe damnum istud est, quod ex invercunda hac verecundia promanat. Potestne enim Christo magis aliquid displicere, quam ejus famulatum palam nos erubescere; & quod minus, quod ipsi gratum fore scimus, ante hominum oculos faciamus, pudore prohiberi? Optimo jure dicebat Assertor noster: *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Dolendum enimvero est, serioque deflendum; reperiri non paucos, qui posteaquam rebus humanis nuntium remiserunt, toto deinde animo, inauspicato isthac & execrando malo deterriti, perfectionem sectari, ejusque publicè studium profiteri non audeant. Id vero justum tibi pudorem incutiat, si negligentior esse deprehendaris in prosequendo absolvendoque bono opere, quam fueris in aggredi-

V 7 endo.

*¶ Luca 9, v. 26; Matth. 10, v. 33; & Marci 8, v. 38. adde*

*¶ Reg. 2, v. 30.*

endo. Quanta ea inconstantia est, à viâ DEI,  
ob hominum, Dæmoni militantium, di-  
steria deflectere? *Quod si timet* (verba sunt  
Doctoris Seraphici, de Religioso loquen-  
tis) *de singularitate notari*, & ob hoc aliis fieri  
odiosus; sciat, quod nullus Sanctorum singularis  
gloriae factus est in cœlo, nisi qui inter homines po-  
situs, studuit esse in sanctitate vitæ singularis <sup>h.</sup>  
Ita S. Bonaventura, qui de imperfectis disso-  
lutionib[us]que ibidem verba faciens, qui a-  
lios à studio in virtutibus proficiendi retra-  
hunt, *Sicut illi*, subjungit, *non dimittunt*  
*consuetudines suas malas propter nos*, & noxi-  
as; sic non oportet nos bona & utilia studia  
abjecere propter illos: *quia si volunt ad vitam*  
*æternam venire, oportet eos nobiscum viam DEI,*  
*non suam, ambulare.*<sup>i</sup>

Decima. Aequè fœdus error est, simi-  
lisque noxio pudori tentatio, quando solo  
hominibus placendi studio, DEVm offeii-  
dere, non curamus. Terribile fulmen est,  
quod in hos tales Davidis ore vibra-  
tur:

<sup>h</sup> S. Bonav. de institutione Novitiorum parte 2, cap. 3, mi-  
hi pag. 659. <sup>i</sup> Idem ibidem.

tur: **D E V S**, ait, dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt; quoniam **D E V S** sprevit eos <sup>k</sup>. Ita nimis fieri oportebat. Quis enim potius contemni despicique meretur, quam qui I E S V M, Redemptorem suum, pro se mortuum, & infinita beneficia conferentem, injuriâ afficere nihil pensi habet, dummodo ne displiceat homuncioni vilissimo; cui & nihil debet, & qui non raro Sathanæ est mancipium, caussaque exitii sui semperit?

Vndecima. Hæc sit præcipua cura nostra, hoc negotium maximum, ut gratiam **D E I** acquiramus, augeamusque; & ne in vacuum eamdem recipiamus<sup>l</sup>, quod bene monebat S. Paullus: qui sibi ipse testis, *Gratia D E I, inquit, in me vacua non fuit<sup>m</sup>.* Summo nobis studio enitendum est, ut paribus semper, quæ licet, cum **D E O** passibus ambulemus, ejus inspirationibus respondeamus, atque, ut David loquitur<sup>n</sup>, viam man-

<sup>k</sup> Psalm. 52, verf. 6. 1 Cor. 6, v. 1. m 1 Cor. 15, v.  
10. n Psal. 118, v. 32.

*mandatorum ipsius, cùm cor nostrum gratiâ suâ dilatat, curramus, aut saltèm non consistamus.* Ejusmodi est, ut terrore meritò unumquemque compleat, quod ad Romanos scribit Apostolus; quomodo Devs eos, qui cùm cognovissent DEVM, non sicut DEVM glorificaverunt, propterea tradidit in desideria cordis eorum, in immunditiam, aliáque adeò horrenda flagitia, eo loco ab Apostolo recensita, ut eorum vel sola recordatio quemvis ingenti horrore queat perfundere.

*Duodecima.* Quandoquidem portas luci cælesti claudere, aurésque ad divinam vocem obturare, sanctas inspirationes excludendo; non minùs, quàm propositorum, earumdem ope factorum, neglectus DEVM offendit: indecorum profectò, & insignis impudentiæ argumentum est, illa quæ sanctus Spiritus bono commodóque nostro eloquitur, non attendere. Quare circumspectissimâ curâ opus est, ut magno alacriqué animo divinos instinctus afflatúfque admittamus, ac fructum capiamus è san-

*Capite I, v. 21 & seqq.*

sanc*tis* illis sensis, salutarib*us*que & ad fraude*s* detegendas aptissimis monitis, à divinâ bonitate communicari solitis; iis pensitandis nos occupando , uti factitabat S Franciscus: qui ut ea pectori suo altius insculperet, fructumque indidem uberiorem colligeret, portas animæ & cordis sui Deo penitus apertas patulásque esse sinebat. ¶

*Decima-tertia.* Magni faciendæ sunt Mortificationes extraordinariae , occasione*s*que eæ, quibus, cum singulari doloris sensu, frangitur voluntas nostra, ad easdem lucrifaciendas : eò quod sint feriæ nundinæque spirituales, quo tempore , unico ejusmodi actu, plus proficit anima, quam aliis quinquaginta: neque infrequenter , ab unicam insigni sui victoria, & heroico virtutis actu, sanctitas nostra dependet. Proinde uti vis medica quorumdam animalium in eo sita est, ut violentâ ac repentinâ, aut lentâ contrâ & naturali morte extinguantur : ita multum interest, modicisne & crebrioribus impulsibus, an verò unico solo, sed letifero iectu perdatur interimatürque voluntas propria.

*Deci-*

*p Consule Vitam Viri Seraphici, à pluribus vulgatam.*

*Decima-quarta.* Supra quām credi potest,  
utilis est frequens sui-ipsius renovatio. usū  
enim venit, ut proposita quæ fecimus, pau-  
latim excidant; & nisi eorum ratio habeat-  
tur, virtus omnis nostra funditus intereat,  
atque evanescat. Porrò uti certa assignantur  
vestigalia, quò ædificia subtractionésque  
majores ac Regum palatia, quoties rimas a-  
gunt, aut ruinā minantur, reparentur & in-  
noventur; hācque ratione majestatē splen-  
dorēmque suum tueantur: eumdē omnino  
in modū, ædificiū spirituale animæ nostræ,  
templūmque Spiritūs sancti restaurari, ac  
restitui debet. Ac Primò quidē, Davidem in  
hāc renovatione quotidie imitabimur, di-  
cemusque: *Dixi, nunc cœpi q. nobis persua-  
dendo, unumquemq; diem, primū esse no-  
stræ ad Devm cōversionis, & vitæ ultimum.*  
*Secundò.* Festis solennioribus cujusque men-  
sis, aut saltēm bis in anno, tridurum vel qua-  
triduum quieti collectionique nostræ im-  
pendemus: quibus tēporibus re nullâ, præ-  
terquam oratione, pœnitentiis, aliisque  
spiritualibus exercitiis occupabimur; gene-  
rale m aliquam; ut vocamus, confessionem

q *Psal. 76, v. 11.*

insti-

instituendo, & confirmando proposita no-  
stra, inque iis progredi conando ; cui neg-  
otio quotannis majus etiam aliquod tem-  
poris spatium tribuemus. *Tertiò.* Nullà de-  
terminat temporis ratione habitâ, simulat-  
que spiritum intepescere experimur, reno-  
vationem hanc mox aggrediemur, da-  
mnûmque acceptum quâm celerrimè re-  
farciemus ; aut ad orationem recurren-  
do , aut præter solitum pœnalia quæ-  
dam opera adjungendo. Tepiditas ma-  
lum est , quod sensim invalescit ; ideó-  
que ferro ac flammâ , omnibus opibus  
viribûsque constanter persequendum est  
& abolendum.

*Decima-quinta.* Illud quoque diligenter  
providésum, nequid de susceptâ vitæ aspe-  
ritate & rigore, ob locum, officiûmve ac di-  
gnitatem quam obtainemus, aut ætarē pro-  
vectiore, remittamus. Minùs apud nos pos-  
sint valeántq; oportet omnes hi tituli, quâm  
mors, certò imminens, tamque multiplices  
gratiæ & beneficia à D E O accepta: quibus si  
respondere volumus, decet ut duriùs potius  
severiùsque nos tractemus , quâm novas  
ali-

aliquas immunitates privilegiáque nobis vindicemus, rebus exiguis semper conteni, Christique humilitatem & paupertatem pro eo ac decet æstimantes. Per magni sanè ea res interest, rectissimique foret exempli, & copiosissimos fructus Religiosis cætibus, totique adeò Ecclesiæ præberet; si viri principes, quique in summis dignatum gradibus collocati sunt, æquè ac primis fervoris sui initiis, sancti essent atque innocentes, & ceremoniarum omnium, mortificationisque exterioris studiosi & amantes. Neque dubitari potest, quin illud ipsum, quod non raro regitur obtentu estimationis conservandæ, defectus sit hujus mortificationis, accensæque charitatis. Quid enim speciosius illustriusque esse potest, quam sincera humilitate, & religiosa Christianâque simplicitate, similitudinem quandam gerere speciemque Vnigeniti Filii DEI; & ejusdem D. N. IESV Christi mortificatione, velut pulcherrimâ veste, à vertice ad talos usque inducum esse?

Amplectendum postremò est geminum

num S. Bernardi consilium, tamquam ad perfectionem, divinæque voluntatis impletionem necessarium. *Si plenè, inquit ille, vis assequi, quod intendis; duo sunt tibi necessaria.* Primum est, ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus & terrenis; ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, ut ita te des DEO; ut nihil dicas vel facias, nisi quod credideris firmiter placere DEO<sup>r</sup>. De secundi consilii dignitate & præstantiâ jam differuimus. Primum, quod nunc commendo, est ut, nisi necessitas majorque DEI gloria aliud suadeant, ab omnibus exterioribus visibilibusque rebus sejuncti, in desertum ac solitudinem cordis nostri secedamus, inibi DEI regnum reperturi: animo enim nostro plus quam totum cælum claudemus; quia ipsum DEV<sup>m</sup>, quem omni tempore præsentem nobis habere studebimus, eodem, quantum possumus, complectemur.<sup>f</sup>

CA-

<sup>r</sup> S.Bern.in Formula honestæ vitæ, aut potius additione ad illam, mihi pag.340. <sup>f</sup> Multa ex hic dictis præclarè illustrat in Opusculo insigni de indicis & gradibus profectus in virtutibus P. Nicolaus Lancicius: quem bonus DEV<sup>S</sup> diu servet, ut reliqua bene multa ejus affectiva lucem aspiciant!

## CAPVT XXXVI.

*De Orationis, ad perfectionem,  
DEique voluntatem cognoscendam &  
implendam, necessitate.*

**P**RÆCIPUUM ad hæc, superioraque o-  
mnia, præstanta medium est ac adju-  
mentum, Lectio spiritualis, Oratio, & Dei  
Præsentia. atque uti sine quotidiano alimé-  
to corporis, ejus vita nequit consistere: ita  
nec spiritualis vita durare potest, nisi in dies  
singulos suum illi pabulum subministretur;  
ideoque ab Orationis neglectu, gravissimi  
multorum casus lapsusque extiterunt. Da-  
vid seipsum deplorans, *Percussus sum*, ait, *ut*  
*fænum, & aruit cor meū: quia oblitus sum com-*  
*edere panem meum*<sup>a</sup>. Orationem nominat  
animæ panem: quia victus ejus est, & quo-  
tidianum, bonisque omnibus actionibus  
commune alimentum. Quemadmodum e-  
nim panis, ordinarium ac universale est ci-  
borum omnium additamentum: ita Ora-  
tioni in omnibus exercitiis piis, in omni-  
bus

<sup>a</sup> *Psal. 101, v. 5.*

bus virtutum actibus, atque in omnibus quæ facimus, sius sit locus oportet. Tanti ad vitam spiritualem interest, diligenter orare; ut nesciam, quibus hoc verbis satè declarem. Nam licet necessitatem illam ut cuinque explicet ista similitudo alimenti, quod unum ad vitam servadam maximè omnium est necessarium, neque re alia ulla suppleri pensarique potest: cum & sine parentibus, & sine vestibus, & sine lecto, & sine domo, & sine omnibus aliis rebus vivere possumus; at sine cibo nullo modo possumus: quamvis, inquam, hæc ita se habent, multò tamen magis necessaria est Oratione animæ, quam cibus corpori. Quare S. Chrysostomus<sup>b</sup>, non contentus illam cibœ comparasse, quo ad vitam traducendam planè opus habemus; eamdem insuper cum re aliâ magis adhuc necessariâ componit, dicendo, *Quod anima est corpori, id animæ ipsi esse Orationem.* Aliquot saltè diebus, et si ægrè, absque cibo omni durare liceat; sine animâ tamen nec momento licet

<sup>b</sup> *To. 5, lib. I de orando DEV M, pag. 588.*

licet unico. atque hæc cauſſa eſt, cur Ser-  
vator dicat: Oportere ſemper orare, & non de-  
ſificere. c

Quòd ſi igitur tunc quoque, cùm alia  
facimus, occupationibꝫque variis distine-  
mur, à Deo oculos mentis noſtræ nequa-  
quam avértere, ſed iisdem affectum oratio-  
némque ſociare & conjungle debemus;  
cur Dei ſervus, . quoties à negotiis vacuus  
eſt, & poterit, aliis rebus, quæ ad Deum non  
ducunt, orium tempūſque malit conte-  
rere?

Tria complectitur Oratio, quæ origo  
ſunt ſexcentorum bonorum & gratiarum,  
quas illa ſecum trahit: quare multò eadē  
amplius, quam panis, nobis eſt neceſſaria.  
*Primum* porrò quod Oratio includit, peti-  
tio eſt; quam ultimæ ſpiritualis inopix no-  
ſtræ, infinitatūmque animæ miſeriārum re-  
medium impetrānius. *Secundum*, quod con-  
ſideratio ſit cognitiōque mysteriorum fi-  
dei, ac veritatum vitæ alterius. *Tertium*, quod  
ſit unio cum Deo, atque conversatio planè  
cæleſtis & divina.

Quod

c. Luca 18, v. 1. Vide Drexelii Rhetoricam celestem lib. 2  
cap. 1 & 2.

Quod ad *primum* ergo attinet, magis ne-  
cessaria est Oratio, quam homini ægro, pe-  
dibusque ac manibus, opibus & amicis de-  
stituto, necessarium sit stipem petere. quid  
enim aliud miseriste faciat? cum neque pe-  
des habeat, ut levamentum aliquod alicun-  
de colligat; neque manus, ut laboret; neque  
facultates, ut sibi prospiciat: adeoque, nisi  
perire velit, egestati suæ subsidium preci-  
bus querere compellatur. Atqui multò  
major est spiritualis nostra necessitas, quam  
corporalis ulla vel esse, vel cogitari queat;  
tametsi sensibus nostris aliter videatur.  
Nam si perinde spiritualis hæc paupertas  
sentiretur, uti corporalis; cælum lacrymis  
gemitibusque assidue fatigaremus, neque  
orare umquam desineremus. Parùm pro-  
fectò postulat à nobis DEI Filius, & post i-  
psum Paullus Apostolus, cum jubet, ut sem-  
per & sine intermissione oremus d. Si enim  
Mendicus aliquis, corporali necessitatibus le-  
vandæ, indesinenter rogat, totóque die a-  
lienam clamoribus suis misericordiam in-

X virat;

d Luca loco citato; i Thess. 5, vers. 17; & Coloss. 4,  
vers. 2.

vitat; multumne sit & magnum tantum de nos facere, ob necessitatem spiritualem. Quanta igitur dementia est, vel diem unicū abisq; Oratione transmittere? Etenim si desperationem manifestamque stultitiam esse censcamus, miserū aliquem & egentem, cuius aliud remedii nihil supersit, eleemosynam nolle petere; de eo, qui Orationē negligit, p multo verius dicemus, illū aut insaniē, aut desperare, aut sui ipsius homicidā esse. Ego dem spectat, hominem afflictum, qui tem lib poralibus remediis indigeat, dies totos rōganando consumere, tametsi incertus est & dubium, num quis opem ipsi sit allaturus; istem, utrum illa in precibus perseverantia, in prorsus necessaria sit, ad opem impetrāndā circumstantia. At spiritualibus necessitatibus omnibus Orationem verè opitulari, de eo certi sumus; certi etiam, ut quod petitum mus consequamur, omnino in ea esse persis tendum: quandoquidem ipse Dei Filius plane utrumque ac diserte docet & pollicetur.

*Matth. 7, v. 8; & 21, v. 22. Marcii 11, v. 24. Lucæ 11, v. 9. & 10; item cap. 18, à v. 1; Ioan. 14, v. 13; & 17, v. 23. & 18, seqq; nec semel alibi.*

Orationis necessitas secundo loco, ex  
notitia illa rerum futuræ vitæ emanat,  
quām per eam obtinemus. Quo etenim  
paecto serio quis, aut æternæ damnationis,  
in qua incidere potest, pericula vitabit; aut  
gloriæ, ad quam pervenire licet, felicita-  
tem ex animo desiderabit, si, quid ea, &  
qualia sint, ignoret? Oratio lux est, quæ hæc  
alia detegit; & fenestra, per quam alterius  
seculi res inspicere possumus accuratèque  
discernere. Sicui diceretur, duas alicubi fe-  
nestras esse, per quarum alteram clare di-  
stinctèque videretur status ac conditio  
Beatorum in cælis, Majestas & gloria Chri-  
sti Redemptoris nostri, Deique magnitudo  
atque immensitas; per alteram vero ea, quæ  
aguntur apud inferos, flammæ, tenebræ-  
que horrendæ ignis istius terribilis, rei illi  
miserabiles, qui à Dæmonibus istic cruci-  
antur, & multiplices carceris æternum in-  
felicissimi miseriae: sicui, inquam, hoc pro-  
erto diceretur; an hominem toto orbe ul-  
lum futurum existimamus, qui per harum  
fenestrarum alteram, quid alterutro in loco  
rerum geratur, contemplari omitteret?

Sic equidem censeo, vel si in extremo terræ  
angulo id genus fenestræ reperirentur; ne-  
minem unum fore, qui non eodem, mini-  
mum curiositate impulsus, esset properatu-  
rus. Atqui Oratio ipsissima illa fenestra est,  
per quam Cælum inspicimus & Infernum,  
Beatos & damnatos, Angelos & Dæmo-  
nes, felicitatem & miseriam sempiternam.  
Illa DĒVM nobis manifestat: illa eadem aptè  
utramque nobis distinguit & explicat A-  
ternitatem. Quæ est igitur hæc turpis igna-  
via ac veternus, res tantas nolle intelligere;  
præsertim cùm tanti nostrâ referat, bene-  
cas percepisse? Si reo, qui in arce quapiam  
captivus attineretur, vir gravis minimeque  
fallax narraret, duarum longè diversissima-  
rum conditionum sortiūmque alteram,  
hōc est, aut felicitatem aut infelicitatem  
summam, illi eventuram; atque utriusque  
designationem & apparatus omnem, per  
unam aliquam arcis fenestellam, ipsum-  
met, si modò caput paulisper erigere ne-  
gravetur, posse prospicere: num quis ul-  
lus uspiam homo erit, qui secundò de eo  
moneri se rogarique patietur? an non po-  
cius

tius quantocyus ad eum se locum recipiet,  
unde hæc duo extrema, alterum vitaturus,  
alterum studio omni quæ siturus, queat ini-  
tueri? Qui fit igitur, quod usque eò nos  
desideramus, tamque parùm conemur, ut  
duplicem, adeoque disparem fortunam,  
quæ nos certo certius exspectat, liquido  
cognoscamus: idque ideo, ut alteram, e-  
tamque tristissimam, evadamus; alterâ ve-  
rò, quæ latissima est ac optatissima, æter-  
num potiamur?

**Tertium Orationis compendium.**  
(quod per eam nempe anima ad Deum  
pertingat, ipsique amabili prorsus & admi-  
rabili modo conjungatur) non minus ejus-  
dem necessitatem ostendit. Miseros nos ac  
infelices, si à Deo separemur! Quid enim  
runc præsidii, quid remedii, quid consilii  
sit reliquum? Quid agnellus faciat à matre  
avulsus, sine lacte, sine pastu, nisi ut per-  
eat? Membra item nostra, à reliquo abstra-  
cta corpore, quam vitam habeant? Ele-  
menta, à centro suo remota, quantopere  
luctantur? Sicuti itaque elementis necessa-  
rium est centrum, corpus membris, agnel-

lo nater: ita nobis, ut ad DVM perveniamus, neve pereamus; sed vitam vivamus maxime vitalem & fortunatam, necessaria est Oratio.

Huc pertinet, quod illa cum Deo familiaritate mirè perficiatur anima, idoneaque reddatur ad virtutū opera, & contemtum rerum externarum: quantam alias solebat, in sanctis exercitiis, Evangelicisque consiliis, difficultatem haudquaquam experiendo. Gustus iste ac deliciae, quas in Oratione, perque illam Deus impertitur, efficiunt, ut terrenæ nobis voluptates vilescant & sordeant: Mortificationem quoque, Christi servis summè necessariam, valde eadem facilem efficiunt, minimeque molestam. Multis itaque modis duplicatur, multiplicaturque Orationis ejusdem necessitas; quoniam ipsa, tribus istis, quas indicavi, conditionibus suis, boni omnis caussa est & scaturigo.

Quis credat, hominem aliquem, in una eadēque re dvitias, honorem, salutem, robur, & quidquid optare queat, reperientem, illam obliisci posse, turpiterque negligere.

ligere? Quæ igitur, Deus bone! amentia  
est, cùm in Oratione unicum omnium spiri-  
tualium nostrarum misericordiarum refugium,  
contra omnes necessitates tutelam ac præ-  
sidium firmissimum, malorum cunctorum  
præsentissimum remedium, bona denique  
omnia, ipsumq; illū, qui est omne bonum,  
habeamus; quod eadem tam negligenter o-  
scitanteque utamur, maximè, cùm ex ejus  
neglectu & oblivione, tam ingentia damna  
orientur? Numquam singularis animi tepi-  
ditas lapsusve gravior contingit, nisi ob O-  
rationis ejusdem defectum<sup>f</sup>. Cum illâ, ejus-  
que operâ, sustentabimur, progrediemur.  
ac magis magisque crescemus in dies sin-  
gulos.

Quare omnes, quotquot DEI exsequi  
desiderant voluntatem, & per dulcissi-  
mi IESV amorem, & per ipsorummet com-  
moda, oro atque obtestor, ut omni co-  
gitatione curâque in Orationem incum-  
bant: quoniam quò id facient impensiùs,  
hòc perfectiores DEI servi sunt futuri. Æsti-  
memus hoc tantum bonum, ut par est:

X 4 gratias

<sup>f</sup> Vide Caroli Scribani Medicum religiosum lib. 3. cap. 8.

gratias agamus pro singulari isto favore ac  
benignitate Optimi Numinis, præstolan-  
tis dum se alloquamur; immo, quod am-  
plius est, ad hoc nos excitantis. Nihil dubi-  
temus futurum, ut ille nos audiat, qui pe-  
tit, ut secum frequenter versemur: omnia  
similiter, quæ optamus, liberalissimè cer-  
tissimèque concessurum; cùm nos roget, ut  
se rogemus. Potestne felicitas ulla cum no-  
stra comparari; quod ex voto ac voluntate  
nostra, aditus nobis semper & porta pateat,  
ad cum supremo totius Orbis Monarchâ  
tractandum? Quanta diligentia adhibetur,  
quantum temporis perditur, quot dies ex-  
spectatur, quām multis actoribus interces-  
soribusque opus est, ut Regem, & Domi-  
num exigui alicujus terræ anguli compel-  
lare liceat? Verūm dum cæli Rex ad collo-  
quium nos suum invitat, ægrè reperitur qui  
illud expetat, etsi indubitatum sit, in ma-  
xiūmū id nostrum cessurum emolumen-  
tum. Homines seculares, propter alicujus  
momenti negotium, quod in Senatu aut  
pro tribunali agitur, vix umquam quieti  
sunt, multosque dies & annos hac una de-  
re an-

re anguntur ac cogitant: & nos, ut ad negotium salutis nostræ totiusque Æternitatis pertractandum admittamur; nihil laborabimus? Potestne aut negligentia, aut stultitia, aut desperatio, aut impudentia major ulla esse? Neque enim scio, quomodo, nisi omnibus istis nominibus, hunc Orationis neglectum debeam appellare. g

Rogo iterum igitur iterumque universos, qui ex animo Deo famulari cupiunt; ac per quidquid suo debent Redemptori, per Dei gloriam, per Ecclesiæ ædificationem, per Angelorum gaudium, per consolacionem justorum, & per propriam ipsorum met utilitatem, quantum possum, moneo atque adhortor, ut, si divinam implere optant voluntatem, diu multumque, &

X 5 quan-

g. Explicabunt tibi ista, cum libebit, singularibus de Oratione dissertationibus Ludovicus Granatensis, Franciscus de Sales, Antonius Molina; atque è domesticis Scriptoribus Alph. Rodericus, End. de Ponte, Ant. Gaudier, Franc. Arias, Io. Crombecius, Hieremias Drexelius, Ant. de Balinghen, aliquae plures; & clare, nuper admodum, ac breviter, R.P. Ioannes Suffrenius cap. 2. part. 2. Annæ Christiani. cuius Operis, & sui magnum desiderium noble reliquit, proxime superiori 1641 anno, 7 Septemb. Flissinga Zelandorum pie morem.

490 VITÆ DIVINÆ CAP. XXXVI.  
quanta posunt cum diligētia, Orationi va-  
care ne pratermittant. In eâ, quid à se De-  
vs postulet, cognoscent; virēisque ac grati-  
am, ad illud perficiendum consequentur:  
ut deinde in cælis, per omnem Æternita-  
tem, quod in hac vita cœperunt, opus con-  
tinuent. Velit hoc faciatque idem cle-  
mentissimus & benignissimus  
Devs, qui est eritque be-  
nedictus in secu-  
la seculorum.

Amen.

AD MAIOREM DEI, DEIPARÆ, ET  
S. IOSEPHI HONOREM

AC GLORIAM.

IN-

FINIA.

INDE X

RERVM PRÆCIPVARVM.

P  
Rope erat, ut hunc omittarem, bone  
Lector; quia ex Capitum syllabo, &  
crebriore libri usu, præcipua quæque facile  
quemvis recordaturum esse cogitabam.  
mutavi tamen mentem, & studio bene de  
Te merendi, hunc quoque, ingratum alias,  
laborem suscepi; in quo unum monuisse  
fortassis juverit, Paginas ubique notatas,  
initium saepe propositæ rei habere solum;  
ideoque proxime sequentes subinde lu  
strandas. Fac pro libitu ac commodo Tuo,  
& Vale.

A.

Aaron ob leve peccatum morte multatus.	111.147
Abigail cur Regis conjunx facta.	114
Abnegatio voluntatis propriæ suadetur.	156.
amorem & DEI gratiam auget.	60
jucunditatem magnam habet.	35
quam DEO grata sit.	221
quanto danno negligatur.	162
Vide plura v. Voluntas propria.	

# INDEX

- Abrahā Abbatis dictum verum. 52  
Abrahā Patriarcha apud DEV M gratiosus. 20  
ejus modestiae specimen. 71  
Abstinentia Castitati maxime prodest. 222  
S.M.Theresie. 129  
Abyssus judiciorum DEI. 380.100  
Adamus peccans severissimè castigatus. 409  
Actiones nostræ quomodo bene facienda. 148.  
268.287  
ibid considerationes ad hoc juvantes. 291  
DEO particulatim offerendæ. 151  
earum regula. 5.51.150.465  
indifferentes quomodo fiant meritoriae. 60.149  
Actus heroici quam utiles. 473  
Acus sartoria Paradisi clayis. 266  
Adversæ res (vide etiam Afflictiones.)  
beneficia DEI sunt. 348  
ex amore immittuntur. 302.305  
ferenda cum desiderio plura patiendi. 350  
libenter. 345  
patienter. 297.342  
pro iis gratiae DEO agendæ. 36.348  
salus nostra ab illis dependet. 307  
Æternitatis memoria suadetur. 380.425  
Affictus nostri s̄epe parūm puri. 228.327  
non

R E R V M.

- 52 non mortificati quam noxi. 156  
20 Afflictiones utiles. 37.299  
71 earum remedium presentissimum. 56  
22 in iis latatur justus. 65  
29 Vide v. Adversæ res, & Tribulationes.  
100 Alexander M. felix, quia non diu vixit. 101  
09 fiducia ejus adversus Medicum. 310  
48 Alphonsus Rodriguez intentionis purissimæ.  
91 267  
51 ejus in hac vita præmium habuit. ibid.  
65 Amano superbia sua cervices fregit. 105  
49 Amare DEV M quanta felicitas. 185  
73 Amicitia intercedit DEV M inter & hominē. 29  
66 ejus excellentia. 30  
que illam pariant. 179  
48 Amor DEI erga nos. 20.56.236  
18 beneficus est & fœcundus. 59  
25 Amor noster erga DEV M non ex solo affectu a-  
00 stimandus. 227  
5 que ejus indicia. 228.328.334  
2 quando sincerus sit. 226.327  
8 quomodo exercendus. 183  
7 amoris caussæ. 28  
5 lex summa. 6  
7 veritas. 26

# I N D E X

- Amor proprius maximè noxius. 51.232  
eius calliditas. 249 inimicus DEO. 163  
ipsi se rebus spiritualibus miscet. 227.326  
Anachoretæ erga DEV M amor purissimus. 135  
alius à leone discerptus. 447  
Angeli justos quantopere honorent. 26  
divinæ voluntatis exsequendæ studiosissimi.  
2.36.124  
eorum lapsus & supplicia. 408  
Anima fit Sponsa DEI. 31  
in eo solo potest quiescere. 47  
quanta ejus DEI voluntatē faciētis dignitas. 31  
quid desolat & faciendum. 318  
sæpe se renovet. 474  
Anima quedam divinæ voluntatis studiosissima.  
601.88129  
Antiocho obfuit valetudo prospera. 106  
S. Anselmus quām peccatum oderit. 406  
Apologus pulcher de voluntate propria. 52  
Antoninus Imp. & equanimus. 45  
Apostoli injurias hilariter ferunt. 346  
eorum amor imperfectus. 327  
Ars omnium questuosissima. 55.60  
Auxilia gratiæ specialia peccatis venialibus de-  
meremur. 444  
Bea-

R E R V M.

B.

- Beatitudo varie describitur. 64  
Beneficia DEI in hominem. 13.18.30.188  
amorem & fervorem excitant. 375  
Beneplacitum DEI spectandum in omnibus. 287  
quomodo cognoscendum. 276  
S.Bernardus in solo DEO conquiescit. 273  
duo ejus salutaria monita. 477  
voluntatem propriā egregie depingit. 214. 408  
S.Bonaventuræ de respectibus humanis conte-  
mendis judicium. 470  
Bona æterna querenda. 240  
Bona hujus vitæ eo nomine indigna. 239  
Bona voluntas quæ sit. 265  
Bonum bene fiat oportet. 290  
quod tale credimus, sepe malū nobis est. 88.100  
Brachia duo spiritualia utilissima. 177.

C.

- Cæcitas patienter tolerata. 132  
peccati venialis pæna. 448  
Canum mira fides & gratitudo. 321  
P.Caroli Spinolæ patientia invicta. 351  
Castitatis tutela. 222  
S.Christinæ rigor obstupescendus. 388  
P.Christophorus Ortizius fulmine icthus. 113  
post obitum contionatur. ibid. CHRI-

# INDEX

- CHRISTVS actionum nostrarum regula. 465  
am̄at nosse 2.22.75.164.411  
amore amorem provocat. 374  
beatus in ipsis tormentis. 65  
desolatus & tristis. 323  
exemplo suo docet facere voluntatem DEI.  
275.119.154  
gaudium nostrum est. 47  
homo cur factus. 2.74  
imitandus est. 282  
imitatio ejus honorifica. 476  
mortificationem omnimodam commēdat. 160  
pauper. 220.  
plura pati desiderat. 350  
quantopere nos quæsiverit. 164  
quis sincerè illum amet. 328  
resignationis exemplar absolutissimum. 119.  
323.345  
volūtatis suæ studiosū quantifaciat. 75.78.82  
Cibus nobilissimus. 2  
Cisterciēsis Religiosus quare thaumaturgus. 134  
alium solatur Deipara. 123  
Clavis cæli mirabilis. 266  
Cleanthis ad DEV M vix p̄aclara. 140  
S. Clemens Ancyranus crudeliter tortus. 393  
Col-

R E R V M.

Colloquium Theologi & Mendici. 167  
Conformatio voluntatis humanæ cum di-  
vina,

- beatitudo est omnibus modis perfecta. 64  
eam Ethnici sciverunt. 139  
eam exempla docent. 119.385  
eam prudentia suadet. 74  
est exercitium Christo gratissimum. 74  
jucundissimum. 35  
summè necessarium. 68  
utilissimum. 49  
facit nos amicos DEI. 29  
in adversis quomodo exercenda. 296  
practicè docetur & commendatur. 146.156.167  
quibus in rebus fieri debeat. 314  
quid eam maximè suadeat. 181  
quos gradus habeat. 342

Vide item v. Resignatio & Voluntas divina.  
Considerationes apprimè utiles. 291  
Consolations divinæ quorumdam Sancto-

rum. 37.38.40.66.123

à quodam propter DEV M negliguntur. 245

Consolations sensibiles (vide etiā Gustus.)

multis mali caussa. 335

non immodecè querenda. 227

quare

# I N D E X

- quare à DEO dentur. 245  
sepe periculose. 228  
Constantia in bene cœptis necessaria. 382. 487  
Contemnitus rerum humanarum. 239. 487  
sui ipsius. 467  
Cor nostrum in solo DEO conquiescit. 47  
Corpus, animæ curæ postponendum. 283  
eius commoditates non querenda. 462  
eius dolores patienter ferendi. 315  
Creationis beneficio, DEI sumus. 8  
Cupiditates & desideria mortificanda. 235  
tortores nostri sunt. 44

## D.

- Davidis bona opera non magna liberalissimè remunerantur. 114  
levia peccata præ gravibus castigantur. 111  
mortem filii fert æquanimiter. 345  
Dæmon bone intentionis hostis. 264  
causat subinde devotionem sensualem. 335  
eius insidiae. 135  
occupare hominē permisso levia peccata. 448  
parvis rebus nos vincetos habet. 157  
quo nos modo impugnet. 52  
Debitores in servitutem dati. 13  
omnes DEO debitores sumus. 315  
Dei-

R E R V M.

- Déicola Abbas ferè semper videt. 66  
De formitas explicatur. 368  
Deleatatio spiritualis immodec nō querenda. 325  
Deliberanti utilissime regule. 296  
Demetrii generosus animus. 141  
Desideria nostra torquent nos. 225  
mortificanda sunt, etiam minima. 157  
etiam rerum spiritualium. 238  
id summi est momenti. 235  
qualia esse debeant. 372  
semper, si volumus, impleri possunt. 66  
suspecta nobis sint oportet. 58. (449)  
Desolationes caussantur saepe à peccatis levibus.  
patienter ferendæ. 316  
patienter tolerat arum exemplum. 245  
quantas Christus passus sit. 323  
quid in iis faciendum. 319  
sine iis DEO serviendum. 321  
tormentum hujus vitæ maximum. 319  
Devotio multorum fucata. 338  
qua sit vera. 228, 327  
sensualis fusè reprehenditur. 325  
DEVS amari dignissimus. 373  
Amicus noster est. 29  
Benefactor. 17  
causa

D G



## I N D E X I

- causa omnium quæ sunt. 318  
Creator noster. 8  
cur non liberet nos è miseriis. 56  
Dominus noster. 15  
fructum à nobis exposcit. 251  
ipse est premium servorum suorum. 14  
optimus est. 56 Pater noster. 16  
peccata levia acerrimè castigat. 110  
perfectionum omnium pelagus. 25. 186  
plus nos amat quam ipsi nos. 236  
potentissimus. 56  
propè invitus nos affigit. 299  
providentissimus est. 310  
Redemtor noster. 11  
Remunerator noster. 14  
respiciendus in omnibus creaturis. 178  
sapientissimus. 56  
semper laudandus. 171  
separari ab illo miserrimum. 485  
solus cor nostrum implere potest. 48  
Sponsus noster. 31  
voluntati servorum suorum obsequitur. 20  
ubi reperiendus sit. 177  
DEI amor erga hominem. 20. 56. 236  
beneplacitum semper intuendum. 150  
Ejus

R E R V M.

- Eius causa omnia facere optimam. 6  
id necessarium. 9  
dominum in hominem. 15. 296  
indulgentia mira in suos. 20  
in peccata inexplicabile oditum. 408. 414. 416.  
446. 450  
pœna maxima, desideriis suis permitti. 200  
toti sumus. 8  
voluntas semper commodum nostrum spectat. 23  
voluntatem exequi tenemur. 7  
Vide plura v. Voluntas divina.  
DEO alacriter serviendum. 269  
infinite obligati sumus. 9  
placere pulcherrimum. 292  
soli competit voluntas propria. 10  
vocanti quomodo respondendum. 332  
Diligentia sit sine anxietate. 458  
Disciplina neglecta acriter punitur. 454  
Discrimen inter seculares & religiosos. 461  
peccata levia facientem & carentem. 445  
propria & divinæ voluntatis studiosum. 44  
Divitiarium incommoua. 95  
Domini jus in servum. 8  
Dormiens mereri potest. 61  
Dubitanti salubria monita. 284  
Durandi horrendum purgatorium. 455. Eche-

## I N D E X A

- Echeneis naves sifit. 461  
Effusio ad exteriora, cœvenda. 467  
Eleemosynæ præmium. 145  
Elias pluvias dat & tollit. 20  
S. Elzarius à Christo castigatur. 448  
S. Ephræm divinis solatiis inundans. 38  
Epictetus DEO consentiens. 56, 141  
Epicurus sui ipsius victor. 97  
Ethnicorū de resignatione dicta, & exēpla. 139  
Exempla non omnia imitanda. 462  
Exercitia pia subinde interrumpenda. 3  
Exercitium resignationis nobilissimum. 28  
medium mediorum omnium. 146  
meritorium in primis. 60 In præxīs illius. 146  
Religiosis & aliis commendatur. 147  
Vide plura v. Conformatio, &c. 2

## F.

- Familiaritas cum DEO oratione acquiritur. 485  
Famulatus Christi non erubescendus. 469  
Felicitas saepe parit infelicitatem. 100  
vera & perpetua quæcer paranda. 172  
que ea sit. 174  
Fervor spiritus multorum. 386  
ad eum quæ excitent. 373

Fidu-

R E R V M. I

- Fiduciæ in DEV M ratio & modus. 173  
Finis actionum nostrarum. 6.470.254 E  
ab eo res avertere absurdum. 1256 E  
ad eum respiciendum, non ad media. 1278 E  
eum non spectare damnosissimum. 258 E  
B. Francisci Borgiae resignatio. 158.133 S  
S. Francisci Seraphici custodia sensuum. 473 S  
S. Franciscus Xaverius. divinæ voluntatis stu-  
diosus. 371 E  
ejus deliciae spiritus. 38. plura pati desiderat. 351 E  
Furiosus procuratore eget. 249 E  
**G.** Exercitatio bis uiriliter. 132 E  
Gaudium verum quod sit. 473 E  
facientis voluntatem DEI. 40.65  
P. Georgii Colibrant vita rigor. 203  
S. Geraldus cæcus fit ob levem culpam. 448  
S. Gertrudis resignatio summa. 132 E  
qua sit docta à DEO. 151  
Gloria cælestis consideranda. 376 E  
peccando amittitur. 429 E  
Gloriæ vanæ turpitudo. 272 E  
longâ ariditate expiata. 450  
Gradus intentionis pure. 268  
mortificationis. 219. perfectionis. 282 E  
resignationis. 342

Gra-

## I N D E X

<i>Gratia hominum, cum DEI offensa, non querenda.</i>	470
<i>Gratiæ DEI collaborandum.</i>	471
<i>Gratiæ DEO quomodo agenda.</i>	18
<i>agenda in omnibus.</i>	173.
<i>etiam in rebus adversis.</i>	348
<i>S. Gregorius M. ob eleemosynā Papa factus.</i>	115
<i>P. Gregorii Lopez resignatio &amp; oratio.</i>	138
<i>S. Guilielmus corpori suo durus.</i>	388
<i>Gula castigata:</i>	223.409
<i>corporalis minus nocet quam spiritualis.</i>	336
<i>Gustatus præcipue mortificandus.</i>	221
<i>Gustus spirituales non nimium querendi.</i>	325
<i>iis valde affici, imperfectionem arguit.</i>	332
<i>propter eos multi DEO serviunt.</i>	326.330
<i>ideoque in magnas miseras incident.</i>	335
<i>Vide item v. Consolationes sensibiles.</i>	
<b>H.</b>	
<i>Habitus boni peccatis venialibus debilitantur.</i>	
444	
<i>Heli modesta patientia.</i>	342
<i>Herba admodum venenosa.</i>	53
<i>Heri jus in servum.</i>	8
<i>S. Hieronymus memor judicij supremi.</i>	378
<i>Hierophantus Themistoclis filius Athenas regit.</i>	21
	Homo

R E R V M.

- |  |                    |
|--|--------------------|
| Homo debet puram habere intentionem.     | 250                |
| Homines omnes non iisdem moventur.       | 7                  |
| Hominis finis. 276.                      | vilitas summa. 241 |
| Honor summus quis.                       | 34                 |
| Honores non immodecē deprecandi.         | 113                |
| Honorum vanitas.                         | 96.105             |
| Horæ Canonicae suis temporibus recitāde. | 454                |
| Hugonis de S. Victore crudele suppliciū. | ibid.              |
| Humanitas præmio affecta.                | 115                |
| Humilis commoditates non quærit.         | 242                |
| laqueos & tentationes Dæmonis evadit.    | 467                |
| sui ipsius contemtor est.                | 241                |

I.

- |   |       |
|---|-------|
| Iacobus Anachoreta in se rigidissimus.              | 387   |
| Iacobi de Saura votum admirabile.                   | 130   |
| fervor obstupescendus.                              | 395   |
| B. Iacoponus DEO consentiens.                       | 317   |
| Iactura verum temporalium sāpe prodest.             | 101   |
| S. Ignatius cælum crebrò adspicit.                  | 240   |
| majoris DEI gloriæ studiosissimus.                  | 138   |
| negligentem castigat.                               | 291   |
| quos gradus perfectionis assignaverit.              | 282   |
| quas regulas dederit voluntatis divinæ cognoscendæ. | 275   |
| Impatientia ad nihil prodest.                       | 344   |
|   | causa |

T

I N D E X

- caussa est misericordiarum nostrarum. 172  
Impedimenta perfectionis quibus modis tollenda. 460  
Incarnationis beneficium. 22  
Incitamenta ad insignem perfectionem. 373  
Indifferentia commendatur. 88.276  
extendat se ad omnes actiones. 272. ingens ex illa commodum. 107. suadetur exemplis. 132  
Indulgentia parentum nexia. 303  
Infelicitas, caussa felicitatis. 100  
Inferni ignis pabulum. 70  
memoria, peccatum tollit. 427  
Ingratitudo nostra adversus DEVUM. 165  
fædissima est. 411  
Injuria, majori honore repensa. 104  
Inobediens Diabolus dicendus. 362  
Inobedientia vindicata. 117  
Inspirationes divinæ audiendæ. 472  
Intentio bona habenda in omnibus. 267  
haberi nequit, nisi amor proprius expugnetur. 248  
particularis & generalis. 148. 268. purissima quæ. 271. semper meretur. 263.294  
sine ea nihil DEO placet. 262  
summi momenti est. 256  
Inten-

R E R V M.

- Intentionis bona emolumenta. 184. exempla.  
135. 266. gradus varii. 268. hostis Diabolus. 264. necessitas. 250. 261. regulae cognoscendae. 273. symbolum. 274
- Intentio mala, bona opera facit digna poena.  
262  
ipso rebus spiritualibus se miscet. 329  
oculus nequam est. 261  
Salamandra est. 262
- Intentionis malae detrimenta multiplicia. 258  
pravitas. 254
- S. Ioannis Chrysostomi de peccatis venialibus  
sententia. 456  
quanti faciat placere DEO. 314
- S. Ioannes Climacus, testis oculatus vita asperime antiquorum Monachorum. 389
- Ioannes de Soto, intentionis purae nobile exemplar. 266
- Ioannes Monachus, in se severissimus. 387
- Ioannis Thauleri cum Mendico colloquium. 167
- Iob divine voluntatis studiosissimus. 309. 345. 348  
vocanti DEO quomodo responderit. 333
- S. Iosaphat regnum relinquit. 393
- Ioci, & facetiae severè expiate. 455
- Iosephi Patriarchæ exaltatio. 104

## I N D E X

- Iosia Regis interitus unde. 112  
Iosue solem stitit. 20  
Iudicij extremi recordatio utilis. 376.426  
Iudicia DEI abyssus multa. 100  
Iudicia hominum contemnenda. 468  
Ius DEI multiplex in nos, ob quod tenemur ejus  
facere voluntatem. 7  
Iustus semper latus est. 65  
velut omnipotens est. 22  
ei obsequuntur omnia. 20  
ejus se voluntati DEVS accommodat. 59
- L.
- Lacrimæ non sunt certum signum devotionis.  
327  
Lazari ulcera levium peccatorum pœnae. 448  
Lectio pia peccati remedium. 422  
Leo minimâ re tenetur. 157  
Linguæ custodia necessaria. 464  
S.Lydvina in doloribus patientissima. 347  
Lotho voluntatis propriæ expletio nocuit. 70  
ejus uxoris supplicium. 114.447  
Ludovica de Carvajal divine voluntati obse-  
quentissima. 41  
ejus DEO se jungendi accensa desideria. 352  
vota summae perfectionis. 130
- B.Magda-

R E R V M.

M.

(43)

- B. Magdalena de Fazzis studiū DEO placendi.  
Mālum sāpe est caussa boni. 88.100
- Manasses felix, quia infelix. 104
- Mandatum maximum quomodo implendū. 183
- MARIA Virgo Filio carissima. 78  
eius decus præcipuum. 80
- resignationis exemplar illustrissimum. 123
- voluntati divinæ obsequentissima. 80
- Martyrum supplicia. 392
- Media querēda, quatenus ad finē cōducunt. 277  
ad omnia indifferentem esse oportet. ibid.
- Meditationis neglectus noxius. 422
- Memoria novissimorum suadetur. 425
- Mendici cum Theologo colloquium. 167
- Merces DEO servientium. 14
- Mereri semper possumus. 6
- Metus vanus se non ex toto abnegantiū. 158.198
- Minima minimè negligenda. 114.443.461  
ab iis inchoandum. 166  
ab iis sāpe maxima dependent. 109  
ea negligentium stultitia. 160
- Modus cum DEO suaviter vivendi. 173  
facilis præsentia divinæ. 152
- Molestiæ hujus vite quomodo jucundè ferri pos-  
sint. 69

X 3

Mo-

112  
20  
26  
100  
68  
jus  
7  
65  
22  
20  
59  
5.  
M  
48  
22  
157  
64  
47.  
70  
47  
se-  
41  
52  
130  
la-

## M V A R R

## I N D E X

- Monachorū antiquorū mira vita asperitas. 389  
 Monita salutaria ad perfectionē assequendā. 372  
 Morbi ob levia peccata immisi. 447  
     patienter sustinendi. 315  
 Mors animæ terribilissima. 420  
 Morte vindicata peccata venialia. 447  
 Mortis memoria peccati remedium. 425  
 Mortificatio à peccato liberat. 206  
     amoris proprii injurias ulciscitur. 214  
     Christi exemplo docetur. 212  
     DEO gratissima est. 213  
         etiam in rebus sanctis adhibenda. 243  
         magnum DEI beneficium est. 196  
         meritum mirè auget. 207. 221  
         necessaria etiam in minimis. 156  
         nota veri amoris. 152  
         omnino exercenda. 198. 211. orationē juvat. 210  
         perfecta, summam affert voluptatem. 159  
         Philosophis gentilibus cognita fuit. 209  
         pro peccatis præteritis satisfacit. 201  
     Burgatorii poenas minuit. ibid.  
     quietam vitam facit. 209  
     reparat naturam corruptam. 197  
     summa est dignitatis. 213  
     virtutis exercitium facile reddit. 208

Mor-

R E R V M.

*Mortificationis fructus.*

194

gradus primus, externa relinquere. 219

secundus, sensuum delectationes contemnere. 220

tertius, spirituales delectationes negligere. 223

*Mortificationes extraordinarie magni facienda.*

473

*Moyses levis peccati graves poenas luit.* 111.447

*DEVM placavit.* 28

*Moyses Abbas à Dæmonে correptus.* 112.448

*Mundus contemnendus.* 180

*eius contemptus utilis.* 284

*eius judicia nihil facienda.* 468

N.

*Naamano leprosum fuisse profuit.* 102

*Negligentia in DEI servitio reprehensibilis.* 290

*maximæ miseriæ caussa.* 381

*Nihil nostrâ caußâ nobis est agendum.* 9

*Nihil parvi faciendum.* 461

*Novissimorum memoria, peccati remedium.*

425.

O.

*Obediens Angelus est.* 362

*errare non potest.* 358

*in Superiore DEVM consideret.* 362

*Intentionem habet purissimam.* 357

T 2

sem-

-TOM

## INDEX

- semper suam facit voluntatem.* 144  
**Obedientia Angelorū.** 124. 355. **Apostolorū.** 126  
cæca cur dicatur. 361. **Christi Domini.** 119  
**Deiparae Virginis.** 122. laudatur. 355  
**medium aptissimum ad mortificationem.** 356  
ad puram intentionem. 357  
*sine ea impossibilis est resignatio.* 360  
**Oblatio sui integræ DEO facienda.** 156  
**Obligationes nostræ ad DEO serviendum.** 7  
**Occasiones peccati fugiendæ.** 421  
**Opera nostra quomodo bene fieri possint.** 148.  
287.  
*considerationes ad hoc utiles.* 291  
**Orandum libenter.** 480 *semper.* 481  
**Oratio est animæ anima.** 479  
animam mirè perficit. 486  
DEO hominem jungit. 485  
mortificatione adjuvatur. 211  
necessitates spirituales sublevat. 481  
panis est animæ. 478 *peccati remedium est.* 422  
per eam futuræ vitæ res cognoscimus. 483  
tria complectitur, ejus necessitatem indicantia. 480  
**Orationis necessitas.** 479. 481  
*neglectus damnosissimus.* 478. 487  
Ora-

R E R V M.

<i>Orationes jaculatoriae optimæ.</i>	154
<i>Oraturus ne quærat consolationes.</i>	325
<i>quid cogitare debeat.</i>	148
<i>quid pro aliis præcipue petere.</i>	155
<i>Originalis peccati castigatio horrenda.</i>	410
<i>Oza subitâ morte multatus.</i>	112

P.

<i>Pachomius Abbas spinis inambulat.</i>	387
<i>Paralytico Evangelico morbus utilissimus.</i>	102
<i>S.Pardulphus cæcitate suâ latatur.</i>	132
<i>Parentum indulgentia castigatur.</i>	303
<i>Patientia suadetur.</i>	296.342
<i>certum veri amoris argumentū.</i>	328.333.337
<i>S.Paulinus vendidit se in gratiam alterius.</i>	12
<i>S.Paullus divinæ voluntatis studiosus.</i>	127.333
<i>Paullus Abbas, ob leve peccatum graviter punitus.</i>	448
<i>Paupertas utilis.</i>	95.103
<i>patienter ferenda.</i>	314
<i>Peccatoris temeraria stoliditas.</i>	425.428.430
<i>Peccatum mortale acerrimè castigatū.</i>	408.410
<i>Adamum &amp; ejus posteros in summas miseras adduxit.</i>	409
<i>Angelos in Dæmones mutavit.</i>	408
<i>Christum crucifigit.</i>	427

I S

DEI

## M V A E R

## I N D E X

- DEI *injuria maxima est.* 406  
 DEV M *quodammodo occidit.* 408  
 dignitati hominis *repugnat.* 405  
 gravitas ejus ex veniali peccato *colligitur.* 433  
 hic, & aeternum punitur. 410. 414  
 ingratitudinem fœdam ostendit. 411  
 inferno malum gravius est. 427  
 malorum omnium caussa. 410  
 mutationem admirabilem efficit. 416  
 originale severè punitum. 410  
 pro eo sollicitè satisfaciendum. 431  
 propter illud Christus mori debuit. 415. 419  
 quantoperè detestandum. 403  
 rationi adversatur. 404. remedia ejusdem. 420  
 Peccatum veniale à mortali quomodo differat.  
 434  
 Asthma est. 442  
 Cæcitas est. ibidem.  
 Cancer est anima. 441  
 cavendum. 423. 456  
 DEV M offendit. 436  
 disponit ad mortale peccatum. 442  
 duplicitis est generis. 435  
 effectus habet pestilentissimos. 448  
 gravioris caussa est. 114  
 hydro-

R E R V M.

- |  |                     |     |
|--|---------------------|-----|
| hydropisis est.                              | X I O N I           | 442 |
| lepra est. ibid.                             | leve quare dicatur. | 435 |
| macula est & deformitas animæ.               | 438.440             |     |
| malis omnibus, etiam aeternis, pejus est.    | 434                 |     |
| morbis omnibus corporis damnosius.           | ibid.               |     |
| morte timendum magis.                        | 456                 |     |
| paralysis est.                               | 442                 |     |
| podagra comparatur.                          | ibid.               |     |
| propter illud non immodecē tristandum.       | 458                 |     |
| remedia illius.                              | 457                 |     |
| severissime à DEO castigatur.                | IIIO: 446           |     |
| maxime in Purgatorio.                        | 450                 |     |
| surditati simile est.                        | 442                 |     |
| tentationum & desolationum caussa est.       | 449                 |     |
| Peccata nostra cur gravissima.               | 411.417             |     |
| Perfecti ob consolationes divinas pudefunt.  | 244                 |     |
| Perfectio multorum fucata.                   | 338                 |     |
| ad eam impellentia.                          | 375                 |     |
| ejus assequendæ compendium.                  | 3.179               |     |
| impedimenta quomodo tollenda.                | 460                 |     |
| studium, ob hominum dicta, non erubescendum. | 469                 |     |
| Perfectiones DEI.                            | 25.186              |     |
| S.Petrus à Christo, & cur, reprehensus.      | 231                 |     |
| ejus lapsus caussa.                          | 114                 |     |

T 6 per-

I N D E X

- perfectio unde estimanda. 127  
semper flevit. 404  
P.Petro Canisio agrotanti optata avicula ca-  
piendam se offert. 21  
S.Petrus Telonarius panem unicum quo præ-  
mio dederit. 115  
Philoromus presbyter sibi durissimus. 388  
Philosophorum ethnicorum sana doctrina. 95  
Pilegrinus Episcopus quale Purgatorium habue-  
rit. 454  
Placere DEO, summus honor & felicitas. 312  
hominibus non studendum. 470  
Plato resignationem commendat. 143  
Pœnitentiae & rigor singularis multorum. 386  
Pompejus infelix, quia non citius mortuus. 101  
Praxis Exercitii Resignationis. 146  
de Prædestinatione tentatio quomodo supera-  
ta. 137  
Privilegia & immunitates non querendæ. 475  
Prodigus tutoris eget. 24  
Progrediendum semper in DEI obsequio. 379.  
382.474 (447)  
Propheta ob leve peccatum à leone discerpitur.  
Providentia DEI erganos. 310  
Prudentiæ Christianæ utilissima regula. 98  
Pudor

R E R V M.

Pudor noxious seponendus.	468
Purgatorium diuturnum.	455
gravissimum. 202. 316. illius pabulum.	70
nihil inibi meremur.	316
pœna damni ibidem luenda.	453
pœna sensus.	452
Purgatorium spirituale gravissimum.	319
R.	
Rebeccæ sua humanitas profuit.	115
Recollectiones crebro instituenda.	474
Recreaciones nō necessariæ ne adhibeātur.	462
Redemptionis beneficium.	11
Regna mundi plures contemserunt.	393
Regulæ bona intentionis.	273
perfectionis studio utilissimæ.	460
voluntatis divinæ agnoscendæ.	276
Religiosi obstupescendum purgatorium.	455
Remedia peccati mortalis.	420
venialis.	457
Remora pisculus naves sistit.	461
Renovatio frequens commendatur.	474
quando instituenda.	ibid.
Res creatæ nobis noxiæ.	239
non explet desiderium nostrum.	46
plus molestiæ afferunt quam voluptatis.	47

I N D E X

- Resignatio varie laudatur. 2  
    circa quæ exercenda. 314  
    eius beneficio desideria omnia complentur. 66  
    exemplis docetur. 13.119.129.130.133  
    gradus ejus 1. omnia ferre patienter. 343  
        2. libenter. 345. 3. cum gratiarū actione. 348  
        4. cum desiderio plura patiendi. 350  
    fundamentum illius. 311  
    in adversis exercenda. 296  
Vide plura v. Conformatio, & Voluntas DEL.  
Respectus humanus proterendus. 468  
Rex & regnum verum. 178  
Ruthæ paupertas sua profuit. 103  
  
S.  
Sacramentorum usus utilissimus. 420  
Salomonis ruina. 114  
Sancti divinæ voluntatis studiosi. 129  
    eorum fervor incredibilis. 386  
    totus produci nequit. 394  
Sanitas subinde noxia. 106  
Sara oculos mirè custodit. 388  
Saulis exitium à parvis cœpit. 114  
Semper mereri quomodo possimus. 6  
Senecæ præclara sensa & monita. 143  
Sensualitas multorum in rebus pii. 326  
Sera-

R E R V M.

- Serapion Abbas se ipse vendidit. 393  
Sermo noster qualis esse debeat. 466  
Servus cur Domini sit. 8  
Severitas saepe prodest. 303  
Silentium commendatur. 179  
Silvanus Abbas terrenorum contemtor. 241  
Simeonis Stylitæ rigor admirandus. 386  
Singularitas laudabilis. 470  
Socrates DEO obsequens. 141  
Sollicitudines inutiles repellantur. 293  
Spes lucri quantum possit apud homines. 49  
Stephanus Abbas cum Christo crucifixus. 34  
Stimuli ad insignem perfectionem impellentes. 373  
Superbiæ remedium. 317  
Supererogationis opera facienda. 423  
Superioribus obediendum. 362

T.

- Temperantia suadetur. 222  
Tentationes, levium peccatorum poenæ. 449  
remedium illarum. 467  
Tepiditas accendenda ferventium exemplis. 385  
medicina ejus multiplex. 373.400  
Themistoclis in suos indulgentia. 21  
Theologus à Mendico doctus. 167  
S. Theresia diuinæ voluntatis studiosissima. 129  
ejus

## I N D E X

- eius mortificatio & votum novum.* ibid.  
*S. Thomas Aquinas miraculo pisces impetrat.*  
21  
*Timor DEI veniali peccato pessum datur.* 444  
*Tituli nos obligantes ad faciendam voluntatem*  
*DEI.* 7  
*Transformatio voluntatis nostræ in divinā.* 353  
*Tribulationes bonum summum.* 309  
*DEO hominem jungunt.* 308. *felicitati longè*  
*preferendæ.* 309. *gaudendum de iis.* 298. *pa-*  
*tienter ferendæ.* 297. *per eas paternè emenda-*  
*mur.* 302. *utiles nobis.* 57. 299  
**V.**  
*Vanitas rerum creatarum.* 239  
*Veniale peccatum, v. Peccatum veniale.*  
*Verborum cura magna habenda.* 464  
*Via brevissima ad cælum.* 2  
    *ad DEI amorem.* 226  
*Virtutis pulcritudo consideranda.* 376  
    *in via virtutis semper progrediendum.* 379  
*Vita divina quorumdam Sanctorum.* 368  
*Vita Christi imitanda.* 465  
*Vitiorum fœditas cogitanda.* 376  
*Vni-formitas cum DEI voluntate.* 363  
    *quomodo differat à con-formitate.* 364  
**Vnio**

R E R V M.

Vnio animæ cum DEO nobissima.	31.67.353
oratione augetur.	485.
prorsus necessaria est.	63
Vocanti DEO quomodo respondendum sit.	333
Voluntas DEI quæ sit.	94
boni omnis caufsa.	10
implenda etiam in minimis.	110
in rebus planè omnibus.	156
quibus in rebus ei conformari debeamus.	314
spectanda in omnibus.	69
unde agnoscī queat.	275

Voluntas DEI omni jure facienda.

quia creavit nos. 8. quia debitores ei sumus  
multipliciter.13. quia DEVS est qui est. 25.  
183. quia Dominus noster est.15. quia grati-  
tudo id postulat. 17. quia illam implere ju-  
cundissimum.35. nobilissimum.28. opti-  
mum, & nobis utilissimum 49. quia merce-  
dem promisit amplissimam. 14. quia Pater  
noster est.16. 302. quia prudentia & recta  
ratio id suadet. 86. quia quieti alias num-  
quam erimus.88. quia redemit nos. 11. quia  
Sponsus noster est.16. quia sponte nos ei obtu-  
limus.12. quia voluntatem suam nobis impen-  
dit.19. quia voluntatem alienam ipse facit.24.  
quia voluntas propria, nobis maximè noxia.54.  
quia

I N D E X

- quia voluntate propriâ abusi sumus. 24  
quia vota nostra prævenit. 22  
Voluntatis divinæ exsecutio æterna est. 2  
à perplexitatibus innumeris nos expedit. 55  
anticipata beatitudo est. 63  
exemplis ostenditur. 119  
exercitiis ceteris præfertur. 2  
jucunda est. 35  
lætitiae perpetuae caussa est. 65  
munit nos contra nos ipsos. 54  
necessaria est. 68  
sine ea verum gaudium nullum. 46  
via brevissima ad cælum est. 2  
vitæ hujus summum bonum. 63  
Vide plura v. Conformatio & Resignatio.  
Voluntatis divinæ studiosus, Christi frater,  
soror, & mater est. 75  
dignitas & felicitas ejus summa. 29.225  
habet Christum sibi obsequentem. 78  
in ipsis tormentis hilaris est. 41  
non horret Infernum. 41.217  
non turbatur. 44  
quid maximè spectare debeat. 181  
quietus perpetuò est. 225  
semper sit ejus voluntas. 45.226

V D-

R E R V M.

Voluntatis divinæ studiosorum exemplar.

Anachoreta quidam.	135
Angeli.	2.36.124
Anonymous.	137
Apostoli.	127
S.Bernardus.	273
Carolus Spinola.	351
CHRISTVS Dominus.	2.75.119.323.325
Cisterciensis Religiosus.	134
Cleanthes Philosophus.	140
David Rex.	345
Deipara Virgo.	123
Demetrius Philosophus.	140
Epictetus.	141
B.Franciscus Borgia.	133
S.Franciscus Xaverius.	351
S.Gertrudis.	132
Gregorius Lopez.	138
Heli Sacerdos.	342
Iacobus de Saura.	130.395
S. Ignatius.	131
Job.	345.348
Ludovica de Carvajal.	130.352
S.Lydyvina.	346
M.Antoninus Imperator.	143
	Men-

## INDEX

- Mendicus quidam.* 168  
*S.Pardulphus.* 132  
*Plato Philosophus.* 143  
*Quedam anima.* 129  
*Seneca.* 143  
*Socrates.* 141  
*S.Theresia.* 129  
*Voluntas sit indifferens* 272  
*Voluntas propria, damnosissima nobis.* 24.51.  
    *71.215*  
*Dæmon est.* 52  
*DEO soli illam facere competit.* 10  
    *eam qui facit, DEO coronam aufert.* ibid.  
    *ex toto abneganda est.* 156  
    *extirpanda, ut pura sit intentio.* 248  
*gladius est.* 52  
*herba venenosa.* 53  
*infernum facit.* 217  
*inquietudinis omnis caussa.* 44  
*maximè diligitur, et si maximè noxia.* 53  
*nisi abnegetur, numquam fiet voluntas divi-  
na.* 193  
*nullibi facienda.* 9  
*origo omnis mali est.* 10. 44. 55  
*protoplasis mortem attulit.* 53  
*purga-*

R E R V M.

purgatorium ignem alit.	70
summa ejus malitia.	214
venenum est.	52
Voluntatis propriæ abnegatio DEO gratissima.	221
jucundissima.	35
maxime meritoria.	221
Vide v. Abnegatio.	
Voluptas fugienda.	95
Vota summæ perfectionis à quibusdam concepta.	129.395
non concipienda, nisi consulto Confessario.	
	401

Z.

Zelus proximi, peccati remedium.	432
Zelum & fervorem quæ excitare possint.	373
Zoërardus anachoret a sibi asperimus.	388.

F I N I S.

## CENSURA.

**M**andato Vestræ Celsitudinis vidi librum,  
cui titulus est, VITA DIVINA &  
VIA REGIA ad perfectionem, ab admodum  
R. P. M. IOANNE EVSEBIO NIEREMBERGIO  
ex Societate IESV compositum; & exhibita in  
illius examine summâ diligentia, nihil in eore  
perio censurâ dignum, sed potius admiratione: &  
quæcumque continet, valde esse conformia sacræ  
Scripturæ, doctrinæ Sanctorum, Conciliis & Pa-  
tribus; ac demonstrare sanam, Catholicam, &  
eximiam Auctoris eruditionem, ejus in docendo  
dexteritatem, magnam in scribendo facilitatem  
& elegantiam, cum singulari prudentia, atque  
adversus proximos caritate conjunctam: viam  
iisdem patefaciendo, pro culparum suarum reme-  
dio, & ad finem, ob quem creati sumus, conse-  
quendum. Ideoque existimo, Celsitudinem Ve-  
stram posse & debere licentiam concedere, quam  
vetit, eumdem librum, ad commune fidelium e-  
molumentum, in lucem edendi. Ita censeo, salvo  
emper Ecclesiae judicio. Datum in S. Ægidio, in  
regia Madritensi, vi Februarii. Anno M. DC.  
XXXIII.

F. Ludouicus de S. Ioanne Evangelista.  
AP-

## APPROBATIO.

**D**ELEGATÂ mihi jurisdictione à D. Licen-  
tiato de Iturrizara, in hac Curiâ Vica-  
rio Generali, vidi librum, qui inscribitur  
**VITA DIVINA**, à P. IOANNE EVSEBIO  
NIEREMBERGIO Societatis nostræ elabora-  
tum, nihil continentem, quod veritati fidei  
Catholicæ aduersetur; plurima verò, quæ  
ad perfectionem Christianam excitent, &  
quibus spiritualis animarum profectus  
promoveri possit: propterea quod exquisi-  
tâ cum brevitate, claritate, & persuadendi  
efficaciâ, præcipua puncta & cardines vitæ  
spiritualis in unum colligat digeratque. &  
in hoc quoque Tractatu, pietatem & cru-  
ditionem, quam in ceteris ejusdem Aucto-  
ris libris agnoscunt universi, deprehendo.  
In Collegio Imperiali Societatis IESV. XVII  
Januarii. Anno ̄. Ioc. xxxiii.

**JACOBVS RAMIREZ.**

XXXIII

Homiliae de S. Ioanne Evangelista


-P-















UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Th  
2700